



1. Joach. Hildebrandi, Dissertationes
nes 20. Helmstedij 1672
- a. de presentia, usu, et
scriptoribus theologiae
 - b. de constitutione et divisione
theologiae
 - c. de authoritate S. Scripturae.
 - d. de Deo, et divinis attributis.
 - e. de S.S. trinitatis mysterio.
 - f. de morte corporis, et statu
animae post mortem.
2. H. de creatione universi.
- i. de resurrectione
 - j. de Angelis.
 - k. de Imagine Dei.
 - l. de peccato originali

DISPUTATIO.
 DE PRÆCIPVIS
 DVOBVSDOCTRINAE CHRIS-
 TIANAE CAPITIBVS: LEGE
 ET EVANGELIO, ET EORVM
 DISCRIMINE IN ACA-
 DEMIA JENENSI.

PRAESIDE
 BALTASARE SARTORIO,
 SACRÆ THEOL. DOCT. ET
 PROFESSORE.

*Ut pro gradu titulq; Doctorum consequendo
 publicè audiantur.*

Iohannes Gallus Erfordiensis, Senior Reverendi
 Ministerij, & publicus Theologiae Professor apud
 Erfordiensis. &

Henricus Maius Sangerhusanus, pastor, & Su-
 perintendens VVerningerodensis.

Instituta

Ad. 5. dante Deo, Octobris
 Anni 1582.

JENAE

Typis Donati Richtzenhan

13-14-15



DE PRAECIPUIS

STANAB CAPITIBVS: LEGE
ET ANNOBVS: ET FORAM
DIEBVS: ET FORAM

FRASIBVS
HILMAREB BARTORIO
MAREB: DOCT. ET
PROFESSOR

FRASIBVS
MAREB: DOCT. ET
PROFESSOR

FRASIBVS
MAREB: DOCT. ET
PROFESSOR

FRASIBVS
MAREB: DOCT. ET
PROFESSOR

FRASIBVS
MAREB: DOCT. ET
PROFESSOR



DE LEGE DEI.

Thema I.

Duo præcipua esse doctrinarum genera Ecclesiæ diuinitus patefacta, Legem & Euangelium, Iohannes Baptista, quem limitem inter vetera & Noua Tertullianus nominat, his verbis ostendit: Lex per Moisen data est, gratia & veritas per Christum facta est Iohan: 1.

II.

Hæc eadem distincta esse, non tantum monstrat diuersos nominando Doctores et utriq; suam tribuendo professionem, sed & discrimen inter eos constituendo, velut inter Dominum & Ministrum, dum ut, Theophylactus ait, per alterum factum, per alterum datum perhibeat.

III.

Et si enim unigenitus Dei filius, non tantum æternus est diuinitatis Orator & perpetuus Ecclesiæ Doctor, vnde & λόγος à Iohanne nuncupatur, Sed & ipse in suo, quo homo factus visibiliter in his terris perfun-ctus est, docendi munere, Legis vocem adhibuit: Tamen ad hoc non est missus, ut νομοθέτης esset, Legem ferret & ius Iudæis & gentibus diceret. Sed potius ut misericordiæ & gratiæ diuinæ abyssum nobis aperiret, eius diuitias merito, efficacia, & voce sua

ad nos deriuaret & effunderet vt dicitur Matth: 18.
Iob: 1. & Esa: 61. Itaq; conuenientissimè concio Gratiæ
et Veritatis de remissione peccatorum, adoptione Filio-
rum, & de veris & æternis bonis illi tribuitur: Moisi
verò, quod eo Mediatore veteris Testamenti Deus
usus est, illoq; ministro Legem dedit: Lex adscribitur.

IV.

Certum itaq; est, vtrumq; doctrinæ genus semper
in Ecclesia retinendum, quod vnius amissio vel securi-
tatis vel desperationis viam struat. Exterminata enim
Lege, non tantum quicquid libet, licere sibi quisq; puta-
bit, sed & quò peiora fecerit, eò meliora euentura sibi
persuadebit. Remoto verò Euangelio, nihil conscientia
peccati & scelerum rea cum excrutiatur, quo se soletur
& sustentet, habebit. Quarè necessaria est semper in
Ecclesia harum doctrinarū connexio, perinde ac lucu-
lenter apparet in Moise, cauernæ petreæ, quæ Christus
erat 1. Cor: 10. insistente, dum gloriam Dei aspicere
expeteret. Exodi 33.

V.

Sed tamen ea ita coniungenda sunt, ne inter se
misceantur, vel confundantur. Nam harum doctrina-
rum confusio horribiles parit errores, et in summum sa-
lutis discrimen mentes inducit. Dum Euangelium
transformatur in Legem, obscurantur misericordia
Dei, & beneficia filij Dei, abrogatur fides, viuifica
conscientijs

conscientijs subtrahitur consolatio, labefactatur inuocatio, et excutitur vera, salutis aeternae, fiducia.

V I.

Quare in Ecclesia vtriusq; doctrinae rationem oportet esse quam explicatissimam, & simul etiam euidentem & illustre discrimen extare, quod verè lumen totius religionis Christianae est habendum.

V II.

Etsi aut vox Legis vniuersam doctrinam à Deo traditam significat, vt Psalmis: i. 94. & ii. 9: tamen pro altera, ex praecipuis duabus doctrinae Christianae partibus, vsitatissimè sumi constat, quae Decalogo comprehensa, ad differentiam aliarum Legum Mosiacarum, Moralis denominatur. Quae ipsa tamen appellatio minimè rei significatae magnitudinem assequitur. Hinc August; lib: i. Retract. cap: 35. inquit, Legem generaliter & specialiter dici.

V III.

In hac verò significatione modò pro Fundamento, modo pro Terminò, vel parte Terminì vsurpari dubiū non est. Fundamentum quidem Lex habet sententias et praecipua breues et rotundas, charitatem Dei & proximi sancientes. Terminus verò eius est obligatio vel ad obedientiam perfectam praestandam, vel ad pœnam sufficientem lucendam. Vt igitur de Fundamento loquuntur ista Exodi 24. Dabo tibi tabulas lapideas,

A 3

Legem

Legē & mandata, quæ scripsi, ut doceas eos, Iohan: 7.
Moyses dedit vobis Legem. Item Rom: 2. Non qui au-
diunt legem iusti sunt apud Deū, Item instructus lege
confidis te ducem cæcorum: Ita de Termino vel parte
Termini accipiuntur illa Deut: 32. Custodierunt legem
tuā. Iohan: 7. Nemo est qui fecit legem. Rom: 6. Non
estis sub lege Rom: 7. Vixebam aliquando sine lege
& 1. Timoth: 1. Iusto non est lex posita.

IX.

Hinc cur alia atq; alia nominis origo & ^{ἐπινοία}
tradatur manifestum. Qui enim fundamentum respi-
ciunt, à legendo nominatā legem censent, quod publicè
ea legi soleat, iuxta id quod dicitur Deuter: 31. Leges
verba legis huius coràm omni Israël, audientibus eis.
Cassiodorus & alij, qui Terminum spectant, à ligando
dictam statuunt, Quòd homines vel ad obedientiam,
vel ad pœnam lege obligentur & astringantur. Augu-
stinus ab eligendo ut Cicero à Delectu honestorum &
turpium, quorum discrimen lex sancit, eam appellatam
putat.

X.

Ipsa verò legis sapientia, cuius perhibente D.
Luthero non est numerus, rectius et melius perspicere non
potest, quam si intueamur animo et contemplemur men-
tem ipsius Dei. Qualis enim est Deus, talem se lege de-
scripsit, & exemplar atq; normam suæ voluntatis ex-
pressit. Vnde August: Psal: 36. ait voluntas Dei est
ipsa lex Dei. Sed

XI.

Sed vt diuina maiestas in abiectissimas hominum cogitationes se non demittit, quemadmodū apparet ex descensu Dei, cum lex ferenda esset, non ad radicē, vbi populus consistebat, montis Sinai, Sed in cacumen eius, ad quod solus Moyses cū fratre Aarone admittebatur: ita & intelligentia mentis humanæ in hac corruptæ naturæ caligine ad inaccessam Dei lucem penetrare, & aciem suam in eam intendere non potest: vt euidenter conspicitur, in claritate Moisis intuentium oculos ita perstringente, vt illam ferre minimè hi valerent. Cum itaq; istam hebetudo oculorum passa non sit, quantò minus inexhaustæ lucis contemplationem animæ nostræ imbecillitas ferre poterit?

XII.

Quare quam de legis sapientia consequimur in hac vita, noticiam, valde ea exigua est, ideog; dolenda & deploranda non tantum mentis nostræ cæcitas, sed & detestanda eorum insania, qui fingunt posse Legi Dei satisfieri, imò posse amplius & meliora fieri. Has voces non humanas, sed Diabolicas esse cum D. Philippo verè asserimus.

XIII.

Quia tamen velamen Mosi obductum per Christum Iesum Dominū & Saluatorem nostrum, qui finis est legis Rom: 10, non modo tollitur, dum per eum

Verus & genuinus legis intellectus docetur, & illustratur: sed et persoluta pro nobis pœna legi debita, per eundem dato Spiritu S. à claritate in claritatem transformamur, dum noua lux, & vera legis notitia in nobis accenditur, & interior eius obedientia inchoatur: grata mente hoc beneficium Dei agnoscendum & celebrandum, & ex verbo diuinitus tradito prima legis diuinæ rudimenta in hac vita perdiscenda sunt, & absoluta illius cognitio, cum integra eius conformitate in altera expectanda est.

XIV.

Ex eo autem piè & doctè tradita est ista definitio: Lex Dei est æterna sapientia, & immota regula iustitiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo, quæ patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpè repetita & declarata voce diuina, vt sciamus, quod sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans omnes, vt sint conformes Deo, et damnās ac destruens omnes nō conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

XV.

Hæc descriptio, quæ ad fontem ipsum sapientiæ legalis nos deducit, sumta est ex his potissimum dictis
Deut: 4.

Deuter: 4. Hæc est sapientia vestra & intellectus cor-
ràm populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc di-
cant: Tu populus sapiens & intelligens. Item, scitis,
quod docuerim vos præcepta & iustitias, sicut manda-
uit mihi Dominus. Ecclesiast: 1. Omnis sapientia à Do-
mino Deo est, & cum illo fuit semper & est ante æuum
Matth: 5 Non veni soluere legem sed implere, Cælum &
terra transibit, iota verò seu apex vnus non transibit
de lege donec omnia facta fuerint. Deuter: 6. Diliges
Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima
tua, & totis viribus tuis &c. Leuit: 18. Rom: 10. Qui
fecerit hæc, viuet in eis. Deuter: 27. Maledictus omnis
qui nõ permanferit in omnibus quæ scripta sunt in libro
Legis. Rom: 8. quod Lex præstare non poterat, qua-
tenus infirmabatur per carnem, hoc Deus proprio filio
misso sub specie carnis peccato obnoxia præstitit.

XVI.

Summa verò eius miranda breuitate comprehensa
est in decalogo, qui intelligendus est secundum exposi-
tionem filij Dei, prophetarum & Apostolorum, & pru-
denter discernendus à reliquis legibus Dei, quæ vel ce-
remoniales vel forenses dicuntur.

XVII.

Congruere autem cum Decalogo & legem naturæ,
cùm manifestum est ex verbis Apostoli Rom: 2. Gen-
tes uqæ

B

tes uqæ

res quæ legem non habent, dum natura quæ legis sunt, faciunt, eæ legem nō habentes, sibi ipsis sunt lex, ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis: tūm probatur his rationibus. I. Concupiscentia non cognoscitur peccatum, nisi per legem illam accusantem Rom: 7. concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, non concupisces. Sed eandē per legem naturæ cognosci, notus ostendit versus Cratetis $\omega\sigma\tau\iota\sigma\kappa\ \delta\epsilon\ \kappa\alpha\kappa\omega\pi\ \omega\acute{\alpha}\nu\tau\omega\pi\ \epsilon\ \omega\iota\theta\upsilon\mu\iota\alpha\ \acute{\epsilon}\sigma\iota$. Ergo eandem oportet esse illam decem præceptorū cum naturæ lege. II. Cū peccati, quod $\acute{\alpha}\nu\theta\iota\mu\iota\alpha$ definitur à Iohanne, stipendium sit mors, Rom: 6. & violatio juris naturæ rectè peccatum mortale perhibeatur, consequitur ius naturæ à lege decem præceptorum non diuersum esse.

XVIII.

Sic igitur legis diuinæ species rectè constituuntur due, naturæ scil: & Moisis. Naturæ veritatem & iustitiam Dei, D. Paulus Rom. I. nominat. Tertullianus contra Iudæos: Licet eam, quæ de fructibus arboris vetitæ lata erat, legem primordiale et omniū præceptorum matricem appellet: Tamen rectius hæc nomina conueniunt ei, quam postea legem non scriptam, & quæ naturaliter intelligitur, vocat.

XIX.

Etsi autem hac lege triplex hominis constituitur
ordo

ordo atq; respectus, secundum quem triplex ei amor,
Dei scil: proximi & sui ipsius iniungitur: Tamen ad
modum succincta & concinna distributione ea à Deo
ipso diuisa est in duas Tabulas, quod licet inter Dei a-
morem & proximi & inter Dei & nostrum multum
intersit, inter eum tamen, quo proximum & nos ipsos
complectimur, nihil discriminis intercedat. Eadem
enim, qua nos ipsos, proximus est prosequendus amoris
affectione.

XX.

Nec tamen quia prærogatiuam quandam amoris Deus
summo jure sibi vindicat, altera Tabula in minori aesti-
matione est habenda, quod vnus idemq; vtriusq; Ta-
bulae sit autor, eadem certitudo, eadem obtemperandi
necessitas, & deniq; etiã idem, licet sub ordinatè, finis,
Nam & proximi charitas referenda est ad Deum,
licet Deus, immediate propter se amandus. Hinc
prior Tabula primi & magni mandati, altera secundi
dicitur, & tamen primo secundum simile pronuncia-
tur, Matth: 22.

XXI.

Denario verò numero, qui non tantum perfecti-
onis, sed & iustitiae est, perhibente Augustino le-
gem præceptorum suorum Deus ipse definire
voluit

Voluit; Exodi 34. Deut: 4. Sed sententias vel præcepta priori Tabula licet Origenes, Nazianzenus & alij quatuor annumerent: Tamen in Ecclesijs nostris convenientius cum August: illi tria tantum attribui iudicamus, siue vt ille vult propter Trinitatis mysterium designandum, siue propter concinnitatis rationem euidentem, quod vt corde, ita & ore & opere diligendus sit Deus. Secundæ verò Tabulae reliqua septem relinquimus.

XXII.

Verè autem hanc legis doctrinam non nisi æterni, vnici & omnipotentis Dei sapientiam esse, satis magno & firmo documento sunt hominis creatio, et ipsius legis patefactio. Hominem non Angelorum, vt nugantur Simoniani & Archontici, sed ipsius Dei creaturam esse, locuples est testis, de eius fabricatione Moisis narratio; Sed in creatione, homini legem communicatam perspicue docet & imago Dei, quam D. Paulus interpretatur Ephes: 4. Iustitiam & sanctitatem veram, & Apostolus Rom: 2. Cum dicit, opus Legis scriptum in cordibus gentium, quibus lex in tabulis lapideis lata non erat. Ergo nec ipsa lex, alium quàm verum Deum, autorem habet nec agnoscit.

XXIII.

Promulgatio verò illius de loco a deo excelso & appa-

apparatu fori tam magnifico, (Cælo tonitruis horrendis
increpante, aëre facibus ardentibus corruscante, terra
intremiscente, monte flagrante & fumigante & , clan-
gore tubarum resonante) facta, ut vox Dei tremenda
audiretur, ab innumera multitudine, quæ coram tot il-
lustrium miraculorum, magno cum pauore spectatrix
fuit. Quæ non manifestè loquitur, hanc legis sapientiam
verè opus esse Dei, qui cæli et terræ rerumq; omniū con-
ditarum est fabricator, moderator & conseruator?

XXIV.

Hæc Legis diuinæ patefactio inter opera Dei
summa præcipuum est habendum, & gratissimam mente
ingens Dei erga genus humanum beneficium agnoscen-
dum & celebrandum, quod quidem firmissimum est de
Deo, quod sit, & qualis sit, testimonium. Quod ut eò
firmius esset, omnemq; ansam dubitationis tolleret,
eandem legem, quam voce Maiestatis suæ tulit & pro-
clamauit, Digito suo, qui Spiritus Sanctus est, Matth:
12. (per quem primum opus legis, cordibus hominum in
creatione inscriptum, & per lapsum extinctum, in re-
paratione eorum inscribendum est) Tabulis lapideis in-
sculptum Deus Moysi tradidit in populo suo asseruan-
dum & custodiendum. Exod: 32.

XXV.

Quin etiam & cum fractis tabulis tam verba quam

B 3

instru

instrumenta legis, Cypriano dicente, Moyses comminueret, ut & populum ad idolatriam gentium relapsum ob apostasiam tantam à Deo, lege indignum iudicari: & ab hac corrupta nostra natura eam factis exprimi non posse ostenderet: Deus ipse alijs tabulis, instar priorum à Moise excisis reiteratam scripturam insculpsit, Exod: 34. ut indubitatum legis diuinæ in veteri Testamento monumentum extaret, & illam per Meditatore[m] verum noui Testamenti denuò integrè instaurandam denotaret, ut habet Augustinus super Exodum cap: 166.

XXVI.

Ista omnia, ut verè legem à Deo originem suam duxisse probant: ita eius auctoritatem maximoperè commendant, ut nulli iam homini fas sit, eius sapientiam Deo derogare, & alteri vel Numini, quod præter illud verum nullum est, vel creaturæ tribuere, & illi quoque quicquã detrabere. Itaque non præter rem inuebitur Clemens Alexandri: lib: 1. *σπουδαίως* in Græcos dicendo: Quæ incredulitas est græcorum, nolle veritati credere quæ dicit, legem esse datam diuinitus per Moysen, cum suas leges, ut maximè fide dignæ videantur, ad suos referunt Deos.

XXVII.

Etsi enim ministerio sanctorum Angelorum est usus Deus in dispositione legis, sicut Galat: 3. Lex ordinata per

per Angelos in manu Mediatoris dicitur: Tamen autorem & fontem, ex quo profecta est, nescit alium, quã ipsum Deum, sicut inquit August: per Angelos ministrata est, omnis dispensatio veteris Testamenti, agente in eis Spiritu S. et ipso verbo veritatis nondũ incarnato, Sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente.

XXVIII.

Vnde de hoc Mediatore licet Chrysofost: pronunciet, μεσίτης ἐνταῦθα τὸν χρισὸν εἶναι; Tamen & hoc in confesso est, Deum inter sese & populum legis vinculo astringendum, vsum esse Moise principem, & liberatore populi Israëlitici, ac Mediatore & ministro veteris Testamenti, Deut: 5. Act: 7. Gal: 3. qui tamen verus fuit hæres et propheta novi Testamenti Ioh: 5. & typus Mediatoris huius, Hebr: 3.

XXXI

Cur autem tam operosa & magnifica actione Deus legem repeti voluerit, quæ etiam Ethnico teste δι' εὐσημέδοντος αθέροσ ἠνεκέως τέταται, cause sunt non exigui momenti. Oportebat enim in hac miserabilis cordium nostrorum caligine, notitias legis naturales valdè obscuratas & in multis etiam extinctas

B 4

renouari

renouari & illustrari, ἡσροτιδὴν γὰρ ἢ ἀσύνετος καρδία,
Rom 1. Nec erat intelligens & requirens Deum Psal:
14. & 53.

XXX.

Deinde postquam homines impuro spiritu repleti
& per conuersionem consuetudinemq; prauam & le-
ges malas corrupti, notiones naturales, vt Iustinus
Martyr dicit, inhibitas tenerent, adeo, vt dubium inci-
deret, diuinæ nē illæ, an prudentum tantum arbitria et
decreta essent, opus erat eas peculiari testimonio ornari
et comprobari, vt constaret, illas veluti sapientiæ diui-
næ riuulos à Deo promanasse, & cum legibus honestis,
quibus vita publica et priuata regitur, ex ijs desumptis
in summo precio habendas esse.

XXXI.

Præterea cum dicente Athanasio homines victi
voluptatib. & dæmonum præstigijs et imposturis, adeo
se sceleribus ingurgitarent, vt iam amplius rationales
nō viderentur, sed bruti ex moribus, irracionalesq; cen-
serentur in summo iudicij diuini contemptu: Voluit
Deus regulam grauissimi sui iudicij accusantem &
damnantem, non tantum quæcunq; flagitia & scelera,
sed & totam naturæ nostræ peruersitatem extare, &
ab omnibus conspici. Vnde ira Dei de cælo reuelari ad-
uersus omnem impietatem & iniquitatem hominum,
Rom: 1. dicitur. Deniq;

XXXII.

Deniq; postulabat ingens naturæ nostræ imbecillitas, cuius nimia est ad mala (dicente Nysseno) velocitas, certum & præscriptum verbum, quod norma esset omnium, vitæ actionum, morum & cultuum, in conspectu haberi, ideò immensa bonitate Deus legis repetitionem instituit, ut eorum omnium certa & expedita ratio esset. Nam ut ait Theodoretus, non in tenebris ambulat, qui veluti lucerna quadã, lege illustratus est.

XXXIII.

Cum autem his rationibus firmissimis constet, legem ab ipso Deo profectam, normam sapientiæ & iustitiæ diuinæ esse: nulli piorum dubium iam incidere poterit, eam ipsam in mente & voluntate Dei perpetua & splendidissima luce fulgere, & ab hac radios in creatione transfusos in corda hominum, ut in eorum mente, voluntate, & reliquis viribus, pulcherrima cum lege Dei, conformitas luceret. Vnde & ab August: in secundo de ordine cap 8. dicitur Legem non tantum in Deo fixam, inconcussam & semper manentem, sed & ab eo in animas hominum transcribi.

XXXIV.

Quia verò integritate sua, in qua conditum est genus humanum, per transgressionem miserè excidit, harmonia illa cum lege Dei horribiliter turbata, opus legis

C

in hac

in hac corruptione naturæ cordibꝫ hominum inscriptū,
non secus ac ἐπιγραφαὶ ἔνδεκα & rudera fractarum à Moise ta-
bularum habendū, in quo legis notitiā in mente obscurā
veluti littura inductam, violat assidue, effrenis volun-
tatis & cordis cōtumacia, ἀντιστάτωμεν τὸ νόμον τῶ νόου,
vt loquitur Apostolus Rom. 7 & idem testatur Rom.
1 affirmando veritatem in impietate & iniustitia deti-
neri, & Deum quidem cognosci, sed non vt Deum glo-
rificari. vnde & legem naturæ corruptæ inesse secun-
dum potentiam cognoscentem, non autem secundum vo-
lentem manifestum est.

XXXV.

Sunt tamē illa rudera evidenti documento, legem
Dei non ad vnā Iudæorū gentem spectasse, sed et ad
omnes omnium populorum, ordinum & ætatum homi-
nes pertinere. Quod quarum rerum obscuratam et tene-
bricosam illa in se habebant vmbra, earundem lex
Dei clarā & illustrem proponebat imaginem. Quare
verè & grauitè de ea Athanasi: pronunciat: Non in
Iudæorum gratiam tantum lex introducta fuit, sed vt
pro publica schola & sacrosancta haberetur. Sicuti &
prophætæ legis interpretes non ad solos Iudæos missi,
sed & ad hoc destinati, vt vniuersi orbis & Magistri
et Pædagogi essent. Et Tertull: contra Iudæos inquit:
vniuersarum gentium Sator, cur legem per Moysen vni
populo

populo dedisse credatur & non omnibus gentibus attri-
buisse dicatur? Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo
pacto ad eam etiam profelytos ex gentibus accessum ha-
bere permisisset.

XXXVI.

Occupatur autem lex imprimis in amore Dei, qui
omnes eius cultus complectitur 1. Iob: 5. præcipiendo
quod is non tantum sit summum, sed & vnum bonum,
in quo sunt omnia, quæ vel amari vel desiderari possunt
bona, vt proluxa inductione declarat Augustinus in 34.
cap: Manualis sui. Deinde ante omnia is diligendus,
quod prior dilexit nos, & tanto beneficiorum suorum
cumulo affecit atq; ornauit, vt eorum numerum & mag-
nitudinem nemo, ne cogitatione quidem assequi possit,
August: soliloquiorũ 19: Hinc et Bernhard: in Tract:
de Deo diligendo, duplicem ob causam, eum propter se-
ipsum diligendum dicit, siue quia nihil eo iustius, siue
quia nihil diligi potest fructuosius. Etsi enim ab/q;
præmy intuitu diligendus est: tamen non sine præmio
diligitur. Non enim charitas esse potest vacua, licet
non sit mercenaria

XXXVII.

Post Deũ et propter Deũ, qui inuisibilis et incompræ-
hensibilis est, proximi etiam, qui visibilis est, amorẽ lex
Dei efflagitat: ita quidẽ, vt & nos ip/os amare iubeat.

C ij

Cum

Cum enim eo modo, quo quisq; sibi charus est, proximi diligendum sanciat, oportet, ut & nemo seipsum odio habeat. Proximus autem censendus, non sanguinis propinquitate, aut alterius necessitatis vinculo, sed ratione societatis pensandus, in qua socij sunt omnes homines: August. Cap: 72. quest: super Leuit: Omnis itaq; homo proximus est, quod ut perhibet Iusting Martyr, nihil propinquius homini quam iisdem perpeccionibus obnoxium & ratione praeditum animal. Nec enim tam ouum ouo, ac lac lacti simile, ac homo homini. Cuius similitudinis & proximitatis ratio licet in innumeris depræbendi possit: Augustinus tamen potissimum in conditione natiuitatis terrenæ, & mortalitatis, & etiam cælestis hæreditatis ponit.

XXXVIII.

Hinc igitur & hostis diligendus intelligitur, iuxta Christi præceptum, Matth: 5. Diligite inimicos vestros, benè precemini de uouentibus vos, & benefacite ijs. Nam & hi homines, ideo & proximi. Quare quæ sibi quisq; obuenire vult, eadem et illis exoptanda iudicabit.

XXXIX.

Vt autem Deus præ omnibus & ante omnia, ita & optimo jure, ex toto se vult diligere, ut præcipitur, Deut: 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,

tuo, tota anima tua & omnibus viribus tuis, id quod interpretante Augustino in 22. cap: de doctrina Christiana, est, ut nulla pars vite nostrae relinquatur, quae vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re frui velit. Quare summa ista legis divinae de amore Dei, efflagitatur omnium virium tam corporis, quam animi cum Deo conformitas, atque isto modo, si quis diligit Deum, vere etiam seipsum diligi iudicatur, August: epistola 52.

X L.

Proximum verò ita ut nos ipsos diligi, summam Deus lege sua postulat, Leuit: 19 Matth: 22. Luc: 10. in qua sententiam porro similiter à Christo, Matth: 7. dicitur, quae vultis, ut vobis faciant homines, eadem et vos facite illis. Cui congruit illud Tob: 4. quod ab alio tibi oderis fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias Cum quibus planè vnum idemq; est illud, quod à lege naturae dictatum, ab Imperatore Palatio inscriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

X L I.

Nec tamen charitas Dei aut genere, aut qualitate à charitate proximi differt, sed ordine potissimum & gradu ab ea differre videtur. Ordine quidem, quod non tantum is, qui ante omnia Deus prae omnibus amandus sit, sed et solus propter seipsum, cum proximus non propter se, sed propter Deum principaliter sit diligendus.

Gradu verò, quia omnium impèssimè ex toto Deus a-
mandus, cum proximus, si eo, quo nos diligitur modo,
non habet, quo succenseat, Eodè cap: de doctrina Chri-
stiana.

XLII.

Sic itaq; legis quæ tam interiorè quàm exteriorè
obediètiã requirit, vt scriptura tabularũ Dei, vtrinq;
legèda monstrat, impletio, in dilectione Dei et proximi
consistit. Vt enim dicente Ioanne i cap. 5. ἡ ἀγάπη τῆς
θεοῦ τὰς ἐντολάς αὐτῆς τηρεῖ. ita perhibete Apostolo Ro: 13
ἡ ἀγάπη τῶν πλησίων κακῶν οὐκ ἐργάζεται, πλήρωμα ὅρ νό-
μου ἡ ἀγάπη.

XLIII.

Quamuis autem lex communicata à Deo generi
hominum, vt integritate obediètiæ, quam illa sancit,
homines iusti, beatiq; in eternũ cum Deo viuerent, sicut
dicitur, Leuit: 18 Rom 10. Galat: 3. Qui fecerit hæc,
viuet in eis: Tamè quia primorum parentum lapsu, hæc
corrupta hominum natura adeò peccati labe infecta &
prostrata est, vt non tantũ longissimè ab illa perfectæ
obediètiæ conformitate absit, sed & quod horrendum
auditū est, legi nec subiiciatur, nec subijci possit, Rom:
8: In tantũ iam etiam abest, vt homo apud Deum lege
iustificetur, vt quot quot sint ex operibus legis, execra-
tioni obnoxij sint & habeantur Gal: 3.

XLIV.

Nec tamen quia ex lege iustitia non est, cõsequitur
aut mutationè cõsily in Deo, vt impiè nugatur Hispan

nus quidā, factā aut legē frustra latā, eiusq; vocē planē
 inanē & ociosam esse. Nā vt Deus ppter eternitatem
 noua condidit sine aliqua nouitate volūtatis, vt ait Au-
 gust: de Ciu: Dei lib: 12. cap: 21. Ita etiam ab eterno in
 Christo nos eligendo, Eph: 1. sine aliqua cōsily mutati-
 one, remediū salutis ordinauit ἔγὰρ ἄπτεται τρωή τῷ
 τῷ θεῷ φύσεως dicente Damas: cap: 8. lib: 1. vt ita per-
 petuò constet illud, quod à Iacobo dicitur, ὡς ἂν θεῷ ἐν
 ἐνὶ παραλλαγῇ, ἢ τρωῆς ἀποσκύασμα, Vnde in hanc sen-
 tentiā expressè dicitur lib: 14. cap: 11. in Ciu: Dei,
 Nec homo peccato suo diuinū potuit pturbare cōsiliū.
 Quare Deum, quod statuerat, mutare compulerit, cūm
 Deus præsciendo vtrumq; præuenerit.

XLV.

Ipsa verò lex Dei, cūm ppetuò in Ecclesia testetur
 esse Deum, et vt rectè agnoscat, mōstret eū esse sapi-
 entē, veracē, iustū, beneficū, castū, cōseruantē confor-
 mes & destruentē contraria: ostendatq; quæ & quanta
 fuerit hominis creati ad imaginem Dei dignitas, quæq;
 et qualis lapsi miseria et calamitas: admoneatq; de ipso
 Mediatore, qui nō tantū cōformis legi in omnib; iusti-
 tiæ Dei est satisfacturus, sed & legis cōformitatem in
 nobis instauraturus: & deniq; etiā de statu & conditi-
 one pulcherrima vitæ æternæ, in qua similes ei erimus,
 tales, qualis ipse est, futuri, 1. Iob: 3. quī ociosa, quī ma-
 nis & supnacanea dici potest?

Etes

XLVI.

Etenim cum vnius rei non tantum vnus, sed & plures sint fines, licet subordinati, qui legis diuinæ nullus esse potest, si is, de quo non tantum meritò disceptatur, sed & qui iure negatur, non conceditur? Non Angelorum, aut alterius vt Manichæi volunt, sed æterni Dei plasma esse hominem, Lex satis testatum facit, dum talem qualis Deus est, eum esse requirit. Testimonium etiam dat, Ecclesiæ doctrinam verè esse diuinam, Solumq; cætum illum, amplectentem legem Dei integram & incorruptam, Ecclesiam esse. Sicuti grauius & verè arguit Augustinus Manichæorum congregationē, quæ legē abiicit et multos Deos colit &c. Sponsam Christi & Ecclesiam non esse, sed orthodoxorum cætum qui legem habet, non quidem vt sub pædago legis sed sub Magisterio gratiæ viuat, ex fide spe et caritate, lib: 15. cap: 6. et 7. contra Faustū.

XLVII.

Quantum autem conferat, quàmq; necessaria sit legis doctrina, eius vsus in Ecclesia notissimi loquuntur. Illorum autem licet secundū duas hominum partes præcipuas, quorum alij non renati, alij renati sunt, videantur, commodè duo tradi: Tamen quia idem homo renatus, & vetus & nouus est in hac vita, rectissimè constituuntur tres legis vsus, quorum primus pertinet præcipuè ad

non renatos, coercens eos in externā disciplina, ne violent mandata Dei. Ideoq; vel politicus quod civilis vitæ consuetudini maximè inserviat, vel pædagogicus, quod ceu freno iniecto inordinatos motus inhibeat, & reprimat, dicitur. Hinc 1. Tim. 1. Apostolus pronunciat legē non esse iusto latam, sed iniustis &c. Idq; dicente Theophylact: Vt vitia comprimat, Et clemens Alex: ad hoc Apostoli accommodat illud Socratis: Legem non esse propter bonos factam.

XLVIII.

Alter qui ad omnes spectat homines est, vt peccatum ostendat, arguat, accuset, iram Dei denunciēt, & totam hominis naturam ream peragat atq; damnet. Hic Spiritualis dicitur, quod lege iudicium exercet Deus horribile in conscientijs, accusando & damnando cum peccatis naturam vitiosam, & incutiendo dolores & cruciatus ex sensu iræ diuinæ & æternæ damnationis. Itaq; Lex Spiritualis dicitur, Rom: 7. quod vt in naturis spiritualibus, in Deo, angelis, & animis hominū est, postulans cum obedientia externa interiorem, quæ non nisi à Spiritu S. accenditur: Ita & per eam, iudicium illud spirituale, exercet Deus, quo corda hominum arguit, & æternæ damnationis rea peragit.

XLIX.

Is autem vsus cūm maximi sit momenti, subinde

D

expressis

expressis inculcatur scripturae dictis. Non satis est Apostolo istud de lege affirmare, cognitionem peccati per eam fieri, Rom: 3. & peccatum per illam abundare, auctum videlicet illius accusatione & condemnatione, Rom: 5. & peccatum per illam fieri excellenter peccatum, Rom: 7. id quod est, valde reum ostensa peccati & irae Dei magnitudine, qua de causa & lex potentia peccati dicitur 1. Cor: 15: Sed & multo acerbiora et tristiora de ea enunciat, videlicet eam iram operari, Rom: 4 id quod fit non tantum δακτικῶς, sed & ἐνεργητικῶς dum irae divinae nuncia, inflammat pectora odio, & iracundia aduersus Deum, ut magis irascantur Deo, eumque fugiant, Cuius quidem cum tanta sit vis, qui non & mortem inferret, cum carentia Dei, ipsissima mors sit? Itaque et ista tristissima de lege pronunciat, quod ministerium sit mortis. 2. Corin. 3 et quod accepta occasione peccatum per mandatum fallat & occidat & quidem ita occidat, ut fulmine aeternae damnationis omnes non conformes simul feriat & prosternat, Galat: 3.

L.

Sic igitur Lex, quae per se sancta, iusta, bona, praebet spiritualis interitus occasionem, non tantum peccandi desiderium augendo, & praevagationem cumulando:
Sed

Sed & naturam nostram damnando & destruendo.
Dum enim vetat peccatū prohibendo, auget desiderii
peccandi, quod natura nostra vitiosa nitatur in vetitū
semper, cupiatq; negata. Sicut enim aquæ impetus vehe-
mentior fit, obice opposito, cuius molem cum euicerit ma-
iori cumulo precipitatus per prona prouoluitur: Sic
quod concupiscitur, ardentius desideratur, & iucundi-
us fit, dum vetatur. Deinde & perpetrati facinoris a-
trocitatem lex exaggerat, dum quod præuaricatione
commissum est, se prohibuisse & Deum eius vindi-
cem demonstrat. Quo quidem dolor & cruciatus con-
scientiæ infertur tantus, qui morte ipsa saepe est acerbi-
or Deinde quia conformitatem efflagitat, & contraria
destruit, dum in naturam nostram longè dissimilem le-
gi, sine aliqua indulgentia fulmē damnationis vibrat,
Deut:27 eam horrēdis terroribus opprimit et destruit.

LI.

Quamquam autem homines prophani & impij istud
legis iudiciū horribili securitate præsertim in rebus se-
cundis aspernantur: Tamen illius terroribus tandem op-
pressi, horrendo fremitu fugiūt Deū, et ex desperatione
in exitium æternum ruunt, vt videre est in Cain, Sau-
le, Iuda, & alijs: Sed pij quos ad medelā quærendā ter-
rores eiusmodi cōpellūt, cōsolatione promissionis Euan-
gely eriguntur et ex istis p gratiā eluctantur, vt Ps 32.

D ij

edocet

edocet David. His ut ad hoc prodest lex, dicente Augustino ut ad gratiam mittat, ita & perpetuo admonet, ut carnem suam crucifigant, cum concupiscentijs et vitijs, ne securitate corripiantur, fidem et timorem Dei tollente.

LII.

Iidem autem licet per filium Dei libertati restituti, Iohan: 8. immunes & soluti sint, tam à maledictione quam coactione legis, non tamen soluti sunt ab eius obedientia quod ordo Dei immotus sit, ut rationalis creatura subiecta sit Deo, eiq; obtemperet, quodq; hoc fine & conditi & redempti homines, ut legi Dei conformes sint. Vnde graviter D. Lutherus: Legem non formaliter et substantialiter, sed relativè abolitam per Christum, id quod, dicente Augustino, est, animã quæ per gratiam salva facta est, non iustitiæ legis mortuã, sed reatui & prævaricationi. Itaq; etsi renati & pij sub lege non sunt: tamen non sunt prorsus sine lege, sed in lege & secundum legem, spiritu spontaneo obedientiam Deo debitam exercent, & lege secundum interiorem hominem delectantur.

LIII.

Quare tertius usus legis est in renatis valde necessarius, ut lex sit norma et regula vitæ, cultuum, et omnium actionum, ad voluntatẽ Dei adiungendarum. Nec enim

enim permittit Deus vitam nostris consilijs regi: multo minus cultus diuinos nostro arbitrio, sine suo mandato eligi & institui, sicuti expressè dicitur: Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur, & Esa: 29. Matth: 15. Frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominũ: Sed vult nos regi verbo suo, & iuxta illud cognosci & coli. Ideo præcipitur Ezech: 20. in præceptis meis ambulate, iudicia mea custodite et facite, et Deut: 12. Quod tibi præcipio, hoc tantum facito, neq; addas quicquam, neq; minus. Quod quidem cum valde necessarium iudicet Psaltes diuinus in hac natura nostræ imbecillitate & impuritate, precatur non tantum: Lucerna pedibus meis verbum tuum: Sed & gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas. Psal. 119. His quid aliud petit, quam vt viam mandatorum Dei currat, & legem rectitudinis Magistræ, & prauitatis depultricem, omnium suarum actionum reatricem habeat perpetuò.

LIV.

Constat igitur Ecclesiam nullo vnquam tempore legis doctrina carere potuisse, & cū repetita sit à Deo, vt ei cõformes efficeremur, per Filiũ Dei qui finis est legis, manifestũ est, eius sapientiam in omni æternitate mansuram. Quare & dignitatem & authoritatem Legis tantam esse, quæ ab omnibus magni fieri debeat,

Debeat, vt demonstret, Apostolus, νόμος ἁγίων καὶ τῆς
ἐντολῆς ἁγίων δικαίαν καὶ ἁγὰν ἡμῶν predicat, Rom: 7.
Talem autē, qualis est, vt et nos experiamur, opus est,
nos ea νομίμως χρῆσθαι vt monet 1. Timoth: 1. Que
vero χρῆσις ista sit legitima, ex iam dictis obscurum
esse non potest.

LV.

Vt autem illustris, sacrosancta & inuiolata esset
ista legis diuinæ authoritas, Deus eam nō tantum pro-
missionibus amplissimis corporalium & spiritualium
bonorum ornare: sed & comminationibus seuerissimis
presentium & eternarum pœnarum, munire voluit:
Sed vt promissiones nequaquam δελετήρια & blan-
ditie verborum: ita nec comminationes φόβητρα & ter-
riculamenta inania sunt reputandæ, quod Deus verax
& Deus virtutum Psalm 59. dat voci suæ robur &
virtutem, Psal: 68.

LVI.

Ac promissiones quidem licet complectantur per-
fectæ obedientiæ seu cōpletæ legis conditionē, nec quis-
quam sanctorum ad eam perfectionem in hac vita per-
venire possit, vt legi in omnibus satisfaciat, Ecclesi: 7.
& Esai. 64: non tamen inutiles & inanes sunt iudi-
candæ, quod vt legis ἐπισημεία est doctrina Euangelij:
ita om-

ita omnes promissiones in Christo sint Amē 2. Corint: 1.
Quare & iustificatis fide, qui non secundum carnem,
sed secundum spiritum ambulant, ratae & firmæ sunt
in Christo legis promissiones. Comminationes verò
certæ & immotæ sunt omnibus non verè pœnitentiam
agentibus, licet per Euangely ^{ἡ ἀνάγκη} æternarū pœna-
rum remissio, cum temporalium etiam vel mitigatione
vel condonatione præstetur omnibus per Christum con-
uersis. Ierem: 18. Ezech: 18. 33.

LVII.

Verè etiam Sapientiam legis latissimè in genere
humano patere magno documento sunt, non tantū phi-
losophorum, de vita & moribus, honesta disciplina &
liberali institutione regendis, doctrinæ, quæ in vnam
quandam artem collectæ, Ethica dicitur, & in se cum
^{ἡ ἀνάγκη} seu ^{ἡ ἀνάγκη} τὰ ἀρετὰ, quam ἀπο-
^{ἡ ἀνάγκη} δέξασ virtutum complectitur, Sed & τῶν νομοθετῶν, le-
ges innumera varietate populis gubernādis latæ, et de-
niq; Jurisconsultorum prudentia, quæ velut legum in-
terpretum est amplissima. In his omnibus quic-
quid iusti, quicquid æqui atq; honesti in moribus præ-
sertim priuatis & actionibus ciuilibus & externis sta-
tuitur, præcipitur, & sancitur, illud ex lege Dei velut

D 4

ex per

ex perpetuo sapientie diuinae fontē dimanasse, extra
controuersiam est, nec dubium & ipsas quidem, à Deo
positas leges, Ceremoniales & Forenses ad *ἰσαρχίαν*
& ad politiam Moysi constituendam ex illa ipsa legis
scaturigine profluxisse. Vnde non tantum quàm in
cōprehensibilis legis sapientia, quàmq; splendidissimū
in ea Dei Theatrum, sed & quā cum illis cognationem
habeat, intelligi potest.

LVIII

Etsi autem certis, perspicuis & immotis limitibus
lex ab Euangelij doctrina, quae gratuita reconciliati-
onis cum Deo, per Christum Mediatorem promissio est
Rom: 1. & 3. discernitur: Tamen conueniunt in eo,
quod utraq; habeat Deum authorem, & utraq; licet
diuersimodè, ad veram & salutarem pœnitentiam con-
currat: Ac licet distincta atq; diuersa sint, contraria
tamen non sunt, quod lex sit pædagogus in Christum,
Gal: 3. et fide promissionis lex stabiliatur, Rom: 3. Vn-
de expresse Apostolus Gal: 3. ait, Lex non aduersatur
promissionibus, Quod quidē sic effatus Chrysost: inquit
Lex non aduersa est fidei, Nec enim pædagogus ad-
uersatur præceptori.

LIX

Quia autem immensa Dei misericordia, Euange-
lij gratiam ita attemperare voluit sapientie legis,
vt eius

ut eius aduersariam esse noluerit, cuius vnquam ea esse potuit, hominis vel impietas vel demētia, quæ Legi Dei nō modò contraria docere, Sed & criminationibus probrosis insectari, & ex Ecclesiæ foro planè exterminatam arcere ausa fuit, nisi ex furore et impulsu Diaboli, hostis Dei, inimici et accusatoris nostri, et Legis aduersarij acerrimi profecta? Quorum quidem passim leguntur adeò multa & varia, ut recenseri omnia nequeant, in quibus cum maximè conspiciatur rabies Satane cum ingenti potentia coniuncta, qua delet Legis Veritatem, non possunt non omnes sani de illis cogitantes exhorrescere.

LX.

Ex his verò inprimis est impiū illud Simonianorum mendacium, qui ut habet August: 1. cap: hæres: Legem à Deo esse negantes, à suo deceptore Simone Mago per Moisen datam comminiscuntur. Deinde Carpocratianorum, Caiianorum, Cerdonianorum, Martianistarum, & Manichæorum furor, qui omnes à Deo legem non latam mentiuntur. Tertio & insania illius generis hominum, quod Legis & prophetarū Aduersarium, temporibus Augustini, Legem ut Manichæi à maligno Spiritu, quem Mundi & Mortis autorem opinatur, esse finxit. Hæc autem, qua falsitate & impietate proferantur, manifestum est ex ijs, quæ supra de
E promul.

promulgatione legis adducta sunt, Ac ad illud, quod ab
Aduersario legis affertur legem esse ministeriū mortis,
respondet breuiter August: secundum illud dici, quod
litera occidit & Spiritus viuificat. Qua ratione verò
occidat, supra monstratum est.

LXI.

In eandem verò erroris impietatem, impingere vi-
detur id, quod nostris temporibus motum, legem eter-
nam non esse, quod homines, quibus lata est, æterni non
sint. Quod si est, aut Deum non æternum, aut legem ex
Deo non esse, oportebit. Sed vt de æterna diuinitate,
quæ & Ethnicis conspicua ex operibus Mundi, dubium
incidere non potest: ita & non obscurum est dogma il-
lud Manichæum, quod legem ex Deo esse negat, iam
diu ex Ecclesia, profligatum esse.

LXII.

Nec minor infertur iniuria legi ab ijs, qui eam ma-
lam criminati sunt, perinde, vt factum, ab omnibus su-
prà positis hæreticis. . Tàm sinistra autem de Lege vt
sentirēt, Clemens Alexandrinus imprimis in causa fuisse
monstrat, quod per legem non tantum peccati cognitio
fiat, sed & supplicia inferantur. Itaq; 2. 590. respon-
det quod lex peccatum non facit, sed ostendit: Boni
autem

antem est id, quod salutare, docere, & quod exitiale,
ostendere. In 1. vero sermone ad hunc ferè modum dicit:
Cum qui corporis morbum aufert, beneficio afficiat, qui
non & ille, qui ab iniustitia animam liberare conatur?
Vt autem pro sanitate corporis & secari & vri & me-
dicamenta potare sustinemus, sine Medici & artis cri-
minatione: Ita & lex, quæ ad pietatem in Deum in-
stituit, dū pœnas imponit & immedicabiles, velut par-
tem à corpore resecat, meritò culpari non potest. Et
digna hîc consideratione vox August: Qui contra Fau-
stum Manichæum lib: 15. cap: 8. ait. Lex semper bona
est, siue obsit inanibus gratia, siue profit plenis gratia,
semper bona est. Sicut sol semper bonus, quia omnis
creatura Dei bona est, siue dolentibus oculis noceat,
siue sanos mulceat.

LXIII.

Miserandum verò in modum depravatam esse le-
gis doctrinã à Phariseis, passim ex Euangelistis con-
stat, idq; tripliciter potissimum: Primum, Legem in-
terpretati de exteriori obedientia, interiorẽ pro-
sus neglexerunt, vt cernitur in concionibus Christi
Matth: 5. 6. 7. legem explicantibus, & eorum per-
suasionẽ taxantibus. Secundò, Disciplina externa legi

E 2

satisfieri

satisfieri, & homines ea iustos coram Deo esse somnia-
runt, id quod Pharisei ostendit iactantia, Luc: 18. &
ibi dem alterius principis Pharisæorum, qui se à iuuen-
tute præcepta Legis seruasse gloriatur. Tertio Legi ad-
diderunt alia præcepta & traditiones, quas ^{δευτερονόμους}
dictas, pluris faciebant, quam Dei mandata, vt edocet
Christus Matth: 24. & Irenæus lib: 4. cap. 26. ad-
uersus hæreses.

LXIV.

Has Pharisæicæ impietatis opiniones magna ex
parte de Lege diuina fouent cum Pelagianis & aduer-
sarij nostri Põtificij, qui Legi in hac vita per omnia sa-
tisfieri, & tam perfectam obedientiam ei præstari posse
decernunt, vt operibus renatorum nihil, quod venia
dignum sit, adhareat. Quiq; & eò audaciæ & impu-
dentiæ progressi, vt non dubitarint, contraria Legi sã-
cire, & alias Leges Ecclesiæ imponere, quas non tantũ
pari, & eodem loco cum mandatis diuinis haberi, sed
& præferri volunt.

LXV.

Etsi autem Augustinus non tantũ in libro 2. de
peccatorum meritis et remissione, & alibi fatetur, Deũ
non præcepisse homini impossibilia, sed & ab Hiero-
nymo, ista sententia anathematis fulmine munita vide-
tur: Tamẽ ex eo non sequitur, hominẽ perfectẽ Legem
implere,

implere, præstita integrè eius obedientia: quod aliud sit
docente August: in lib: de natura & gratia cap. 7.
posse & esse. Itaq; cum constet, non flagrare pectora
tàm ardèti amore Dei, ac Lex efflagitat: nec immun-
diciem interiorem Legi repugnantem & totius naturæ
ἀταξία viribus humanis tolli: et tamen aliquo modo
opera legis in externa disciplina præstari, Rectè quidè
illa sententia tradita videtur contra Manichæos, qui
partem aliquam generis humani à malo principio con-
ditã, fingunt adeò malam, vt nec honesta Legis opera
externo modo facere possit. Contra eiusmodi rectè
illud dictum accipiendum.

LXVI.

Idè tamè Augustinus de hac possibilitate pronun-
ciat epistola 95: Neminè liberavit aut liberat sua possi-
bilitas, quæ perditã Redemptore indiget, & saucia Sal-
vatore. Et alibi exponit, qua ratione Deus impossibilia
non præceperit, dum ad Bonifacium lib: 3. cap. 7. scribit
Gratia Dei in hac vita tribuit studium præcepta ser-
uandi, & eadem, si quid in illis minus seruetur, ignos-
cit, Itèq; Psal: 119 Fides impetrat quod Lex imperat.
Vnde & alterum est decretum Hieronymi: Si quis
Legem dicit fieri sine gratia, anathema sit. Per gra-
tiam autem non tantum intelligendum auxilium Spi-
ritus sancti, sed inprimis gratuita imputatio & ac-

*

ceptatio, quæ peccata non tantum remittuntur, sed & reliqua teguntur, nec imputantur. Deinde auxilium Spiritus sancti, qui accendendo in nobis tales motus, qualis ipse est, inchoat legis obedientiam in hac vita, quæ quamuis impura & imperfecta, perficietur tamen, & consummabitur in futura. Sic per Christum, qui legem implevit & finis est legis, præcepta impossibilia non sunt, nec mandata Dei graua, imputatione scilicet et inchoatione in hac vita, et post istam, consummatione.

LXVII.

Vnde & renatorum obedientia perfecta dicitur pro statu viatoris, & ipsi quidem perfecti 1. Corin: 2. & Philip: 3 Non quod integrè legi satisfaciant et obedientiam, quam efflagitat, omnibus numeris absolutam præstent: Sed quod per gratiam inceperint, & ut perficiantur, assiduè per eandem enitantur. Perfectus enim, ut habetur in 2. de peccatorum mer: & Remiss. dupliciter dicitur, 1. ἀπὸ λῶς & absolutè, cui prorsus nihil deest, 2. κατὰ τὴν id est secundum quid, qui perfectus non omnino, sed in plurimis profecit. Cum autem luce meridiana clarius sit, neminem esse Sanctorum in hac vita, cui non desint multa in perfectione Legis, sentienti, malum sibi adiunctum, et luctanti spiritu aduersus carnem, quæ contra illum concupiscit, Quæ non & manifestum, à nullo vnquam Sanctorum legi in hac vita

vita perfectè satisfactum, vt peccatorum venia & con-
donatione non fuerit ei opus, P/sal: 32? Quod si verò
peccati venia opus est, nec peccatum aliud quiddam est,
quam quod contra Legem fit, quis non videt, maximè
ista inter se pugnare, et simul consistere non posse, San-
ctos contra Legem facere, & tamen Legi in omnibus
integrè satisfacere? **LXVIII.**

Quod verò de Pharisæorum præceptis latum est
iudicium à Christo, Matth 15. Idem & de Pontificijs
traditionibus valere nemo non intelligit, cum indubita-
tum sit, velle Deum, nos suo verbo regi, eiq; neq; addi,
neq; detrabi quicquam, idq; sub tristissimarum plagarum
comminatione Apoc: 22.

LXIX.

Alieniores etiam videntur esse à legis diuinæ au-
thoritate allegoricæ interpretationes, quibus Decalo-
gus alius naturalis cæli, alius terræ fingitur, apud Cle-
mentem 6. spm: quæ ipsi relinquuntur.

LXX.

Sed maximoperè cū ea pugnat imaginatio cū Pha-
risaica, tum Pelagiana et Pōtificia, quæ legis observa-
tiōe, homines apud Deū iustificari somniat, cū expresse
dicatur, ex opibus legis nō iustificatur omnis viuēs. Et:
si p̄ legē iustitia, Christ9 frustra mortuus est Gal: 3. Et:
quod impossibile erat legi, quaten9 infirmabatur p̄ car-
nē, De9 misso pprio filio p̄stitit, Rō: 8. Ac Ambrosij: illa

de lege citata ab Augustino lib: 4. ad Bonifac: satis edocent, longè alio fine legem Ecclesie datam, quam ut justum redderet hominẽ apud Deum. Ista autem sunt: Lex os omniũ potuit obstruere, sed nõ mentẽ conuertere. Item Lex factum damnat, non aufert malitiam. Non igitur per legem iustitia.

LXXI.

Præterea infensissimos habet Lex Antinomos, quorum alij furenter primùm eam ex Ecclesia penitus pulsam in curiam relegarunt. Deinde & ex hac exacte ignominiosum in patibulo locum destinarunt, contententes, ex Euangelio tantũ pœnitentiam docendam. Alij autem eam in pijs vitæ & operum bonorum Regulam normamq; non esse dimicarunt. Quorum quidam illud quàm impiè & nefariè statuatur cum ex superioribus de usu Legis, tum ex isto intelligi potest: Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad redarguendum &c. Cùm autem eiusmodi sit lex, oportet, ut semper in Ecclesia proponatur, & quidem eò fine, quo dictum: Hoc verò quàm alienum à pietate dicatur, tam ex tertio legis usu, quàm ex isto manifestum est: Fides operatur per charitatem: Charitas ordinata est Lege Dei, Ergò ad normam legis operari oportet. Nec his patrocinantur verba D. Lutheri, qui fidem sine lege opera bona facere asserit. Nam

Nam disertè dicit, sine lege iuuantem nec nõ extorquen-
te, & postea subiicit, Legem non formaliter & sub-
stantialiter sublatam esse.

LXXII.

Deniq; hostili prorsus animo Legem esse persecu-
tum Marcionem, Satanae primogenitum, apparet ex
antithesibus, quas collegit hoc sine, vt Legem et Euan-
gelium inter se committeret, & ex diametro per omnia
inter se pugnare monstraret, vt conspici licet precipuè
in 4. lib. Tertulliani contra illum. Huius insanie ex-
pressè per Apostolum contradicendum est supra. Et quia
praeter Chrysostomũ Iustinus Martyr, Epiphanius, &
Augustinus, mentem & verba Apostoli declarant, eo-
rum etiam verba hic apponi non alienum erit.

Iustinus Martyr in quaest. Christi: quaest. 104. ait: Bo-
na est venia & gratiae diuinæ donũ, estq; illa, neq; secũ-
dũ Legem, neq; aduersus Legẽ, sed supra Legẽ, et pro
Lege. Supra Legem, quia gratia: Pro Lege, quia per
pœnitentiam peccatores adducit ad indulgentiam et be-
neficium Legis.

Epiphanius: autem contra Manichæos, ait:
Quemadmodum si quis Pædagogum haberet, vbi per-
uenerit ad ætatem, & acceperit præceptorem, non om-
ninò reijcit pædagogum tanquam inimicum: Sic &

F

nos de:

nos deducti sumus in Lege & in Prophetis, vsq; ad ad-
uentum præceptoris: Reperto autem præceptore, non re-
probamus pædagogum, sed etiam gratiam ipsi confite-
mur, quod pueritiam nostram deduxit, & ad perfectio-
res disciplinas nos demisit.

August: verò in 2. lib: contra Aduersarios Le-
gis & Prophetarum inquit: Ita non est inimicum E-
uangelium Legi, quæ per Moisen data est: vt inter se
non sunt inimici Abraham & Moises, qui ambo vnum
Deum coluerunt.

LXXIII.

Sed quia latum Dei mandatum, dubium non est
infinitos contra illã errores excogitados, mēdacia con-
ficta, et deliria sparsa. Quarè cū enumerari nō possint
omnia cum lege Dei pugnancia, hæc nos admoneant de
exquisita malitia Satanae, veritatē Dei odio ipsius, et
salutis nostræ horribiliter peruertentis, Et exuscitent
non tantum diligentiam accuratam sedulò eam scrutan-
di, sed & ad gratiarum actionem Deo præstandam,
qui immensa bonitate cum luce Euangelij à Sole iusti-
tiæ accensa, non tantū lucernam etiam legis illustrare,
& verum eius intellectum monstrare, sed & per eum
legem

Legem impleri voluit. Eundem Deum Patrem,
Domini nostri Iesu Christi precemur etiam, ut in cor-
dibus nostris Legem suam obsignet, vera eius sapientia
nos instruat, & perpetuò nos hinc ei obsequentes, & post
hanc vitam prorsus conformes reddat, per unigenitum
filium Iesum Christum Dominum & Salvatorem no-
strum, cui cum Patre & Spiritu sancto sit laus omnis
sapientiae & iusticiae in seculum seculi Amen.

F ij

DE



DE EVANGELIO.

Thema I.

TAm terribilem ac tremendā esse Legis diuinæ auctoritatem, quā splendida & magnifica est, multa et varia euincunt documenta: inprimis tamen certorum limitum, cum Lex danda esset, constitutio: Seuera transgressionis horum inhibitio: fulgura, tonitrua, lampades, faces, fumi, Tubæ fragor, vox Dei Maiestatica, et populi pavor atq; consternatio, Exod: 19 & 20. Quæ omnia vt terroris plena: ita etiam fortissimi animum, rectè ista secum reputantis percellere et frangere possunt. Sed omnium maximè extremiscendum venit, fulmē execrationis legi additum, quo damnationi subiiciuntur omnes non conformes, quoq; velut malleo petras cōterit, & velut igni stipulas comburit. Ierem. 23.

II.

Hoc fulmine ineuitabili cum prosternantur & perimantur omnes, quotquot inueniuntur non per omnia ei conformes (inueniuntur autem tales singuli & vniuersi, quod omnes peccauerunt, & carent gloria Dei, Rom: 3.) ne qua spes vitæ non restaret, neq; salutis medela prorsus deesset, immensa Dei misericordia, non tantum Lex data, sed & Gratia & Veritas facta est: Illa quidem, dicente Augustino, vt data indulgentia peccato

peccatorum, quod præceptum erat, ex dono custodiretur: Hæc, ut ablata observatione umbrarum hoc, quod promissum erat, ex Dei fide præsentaretur.

III.

Facta autem illa est per Iesum Christum nobis à Deo sapientiam, iusticiam, sanctificationem, et redemptionem factum. I Cor: I. in quo proposuit Deus omnia summam instaurare, Ephes: I. Is igitur est finis Legis, non quidem consumens: sed consummās, in quo & à quo perficimur, ut hæc perfectio nostra sit, ad eum peruenire August. Psalmo 56.

IV.

De eo licet testetur Lex nosq; ad illum tanquam pædagogus, deducat: Tamen longe aliud est doctrine genus, quod de eius Persona, Officio, & Beneficijs nos luculenter & opulenter instruit atq; informat, quod multo profundioris & abstrusioris est sapientie, quam ut quisquam hominum de eius intelligentia, quicquam perspicacia, & acie sue mentis assequatur, sine singulari Dei eam illustrantis reuelatione. Idq; est Sacrosanctum EVANGELIUM, eam ob rem & Euangelium Iesu Christi, Marci. I: & Euangelium Christi Philip. I: Ad Romanos vero Euangelium Dei promissum per Prophetas de Filio suo &c. cap. I. nuncupatum.

V.

Istud quia non tantum Legis sapientiam, quæ amplissima est, explicat & illustrat: Sed & quod Lex postulat, præstat, & porro ea nunciat, in quæ, dicente D. Petro, et Angeli desiderarunt prospicere, non sine summa admiratione & delectatione: facile intelligi potest, huius sapientiam magis diffusam & exundantem, ut multò mirus eius sit numerus, sicuti videre licet Rom: II. in verbis Apostoli exclamantis. ὡς βάθος πλάτους ἡ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κείμενα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Unde & apparet, graui iudicio D. Lutheri in collatione vtriusq; doctrinae, Legem Dialecticæ, Euangelium verò Rhetoricæ comparatum, & verè affirmatum, habere Christum omnia Moisis, sed Moisen non omnia Christi.

VI.

Quia igitur & supra captum mentis humanæ posita, et latissimè diffusa est, non possunt non omnes sancti, in quibus accensa est aliqua lux, tantæ & tam salutaris sapientiæ, in eius admirationem non sine stupore rari, et cogitatione sublimitatis illius adeò expauescere & tremere, ut, qui de excelsi montis vertice in profundum mare prospektant, vertigine correpti exhorrescunt, Sicuti hoc euidentis est ex cōsternatione Iacobi in somno

somno sub imagine scale, de tantæ cognitionis subli-
mitate edocti. Gen. 28.

VII.

Nec etiam valent ad fastigium sapientiæ eius, in
hac vita unquam pervenire, eam penitus animo metiri
& exhaurire, quod dicente Iohanne: Deus maior corde
nostro: Et gratia, quæ huius sapientiæ est, tantò maior
est peccato, quantò Deus maior homine & quantitate
& qualitate, ut habet Augustinus. Itaq; inexhausta
est, & datur tantū, ut ait Apostolus βλέσαν δὲ ἐσθ-
ωτέρως ἐν ἀνιγμάτι, καὶ γινώσκων ἐκ μέγας.

VIII.

Vt tamen eius cognitionem certam & firmam,
licet non adeo illustrem, qualis erit in vita æterna, ha-
beamus, nec vel de essentia vel voluntate Dei erga nos,
ex Pharisæorum & aliorum θεοσωμύμω γνώσεωσ per-
suasione, aliter sentiamus & credamus, quam par est,
oportet, ut verbum quod involucrum est. Arcani &
mirandi illius promissi Dei, ideoq; simile enigmati, as-
siduè contemplemur, & ut partem illam necessariam
consequamur, ex eo solo lucem, qua Deum velut per spe-
culum intuemur, à Spiritu Sancto accendi petamus,
Sicuti utrunq; petit David Psal. 119. Et non auferri

de ore suo verbum veritatis unquam, & reuelari oculos suos, vt videant mirabilia de Lege Dei. Et Apostolus precatur Ephesijs dari Spiritum sapientiae & reuelationis per agnitionem Dei cap. i. quae non nisi ex verbo sumitur, Iesai 8. 59. & Rom: 10.

IX.

Itaq; & ingentis beneficij loco ponendum, quod Deus accommodando se nostrae imbecillitati, non tantum amplissimam Legis doctrinam, breuissimis capitibus tradere, eaq; & succinctius summatim comprehendere: Sed & Euangelij sapientiam longè immensiolem, magisq; incomprehensibilem, multo breuius, arctius & compendiosius, tanta tamen perspicuitate, & euentia verborum, complecti voluit, vt clarius, illustrius, & luculentius sit nihil, quo partialis illa, sed firmissima cognitio facilius esset. Quid enim magis rotundum & perspicuum illis? Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Item Ego Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor amplius? Quid dilucidius istis: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum unigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam: Item qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.

Nec

X.

Nec dubium est, hanc ob causam potissimum à Nazianzeno, Apostolum *συντετακμένον λόγον κήρυκα* vocante, appellari Euangelium, Sermonem abbreviatum ex Iesai. 10. & Rom. 9: qui alioqui de re & negotio abbreviato intelligitur: ~~quoniam~~ quod res innumeras & maximas ea breuitate complectatur, quæ omnes humane sapientiæ Aphorismos, & omnia compendia longe euincit, & à tergo relinquit. Hinc & cur Euangelium tam longum, quàm breue à D. Bartholomæo dictum sit, manifestum.

XI.

Quarè contractioribus etiam velis, vt in hoc immenso Gratia diuina petago vtamur, ex multis & varijs eius Nominibus, pauca, quorum consideratio valdè necessaria est, subijciemus.

XII.

Euangelij appellatio de hac doctrina, & vsitatissima est, & maximè ei conuenit, quod cum, interprete Augustino lib. 2. cap. 2. contra Faustum, illud nihil aliud sit, quam bonum nuncium, seu bona annunciatio: nullum in cælo & terra melius nuncium, nulla lætior vox eius promissione audiri possit. Cum enim; dicente Propheta, iniquitates nostræ diuiserint inter nos & Deum, et peccata nostræ absconderint faciem eius à nobis, Iesai

G

bis, Iesai

bis Iesai . 59. vt priuati Deo, omni bono priuati, desti-
tuamur omni consolatione, quid letius, quid iucundius
et optatius accidere potest, quam eam auribus percipere
vocem: Dominus abstulit peccatum tuum: Et: confide
fili, remissa tibi sunt peccata tua? Quæ vox Euangelij
est propria, vnde & August. loco dicto: Etsi cum ali-
quid boni nunciatur, Euangelium dici semper potest,
propterea tamen hoc vocabulum obtinuit illa, quam
dixi, saluatoris annunciatio.

XIII.

Atq; in hac tamen acceptatione, vt consultò præ-
tereamus eius apud profanos significata, nō vno sēper
eodemq; modo, sed triplici potissimum vsurpatur. Nam
aut *συνεχόμενον* seu Materialiter sumitur, idq; rursus
dupliciter, vel pro historia vitæ & doctrinæ Christi:
vnde quatuor Euangelia: vel pro Pericope seu parte
aliqua eius historie vitæ, & doctrinæ Christi: vnde
Euangelia dierum Dominicorum & aliorum Festo-
rum.

XIV.

Aut *κοινῶς* communiter & generaliter accipitur,
pro tota doctrina, qua in suo ministerio vsus est Domi-
nus, & Saluator noster Christus Iesus, cum ipse in ter-
ris visibiliter versaretur & doceret: quamq; & Apo-
stolis docendam & propagandam in Nouo testamento
mandat

mandauit, quæ quidem & Legis expositionem & gratiæ diuinæ enarrationem complectitur, vt Marci vltimo: Ite in mundum vniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ.

XV.

Aut ἰδιωσ νοῦν νογιωσ, propriè et principaliter est annunciatio Domini nostri Iesu Christi, saluum facientis populum à peccatis suis Matth. 1. qui quidem Iesai. 61. confirmat se missum ad Euangelizandum pauperibus & medendū contritis corde. Hinc Angelus Luc: 2. Euangelizo vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo, quia natus est vobis Saluator: Hinc Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti Rom: 1. dicitur, et Ephes: 1. Euangelium salutis nostræ. Atq; ista est, ne qua ex nomine implicatio veniat, significatio, maximè huic doctrinæ parti conueniens & propria.

XVI.

Hoc Euangelium 2. Corint. 3. *ἡ ἀληθεία τῆς ἐπισημίας* dicitur, quod per illud detur Spiritus Sanctus Gal: 3. qui viuificat Iohan. 6: 2 Corint: 3. Item verbum veritatis Ephes: 1. Quod veritas quæ Christus, illa prædicetur: itemq; verbum fidei, Rom: 10 Quod promissio Gratia, quæ sola fide apprehenditur, eo annuncietur.

XVII.

Sed frequentissima est Apostolo appellatio *μυστήρις* Ephes. 1. & 3. Coloss. 1. Idē primum quod à ratione mentis humanæ, doctrina ista non tantum sit aliena, sed & ei planè contraria, unde stultitia prædicationis vocatur 1. Corinth. 1. Deinde quod adeò supra captum humanæ mentis posita, ut nec ullius hominis institutione, sine singulari Dei illuminatione, possit percipi & adisci 1. Corin. 2. Matth. 11. Tertiò quod nec unquam in hac vita penitus exhauriri, sed ex parte tantum cognosci queat. 1. Corin. 13 Deniq; quod ut Mystera prophætanis, ne eorum turpitudine polluantur, aperienda non sunt: Ita nec ista Margarita Euangelij obijcienda porcis, hominibus Epicureis: Nec Sanctum eius dandum canibus, hypocritis inflatis & morosis.

XVIII.

Eidem tribuitur et Legis nomen, nec quidem generali usurpatione, ut supra de Lege ostensum: Sed in specie ad hanc doctrinæ partem, quæ propriissimè Euangelij est, Legis nomen adhibetur, Iesai. 2. cum dicitur, Ex Sion exhibit Lex & verbum Domini de Ierusalem, ubi ex contextu narrationis nihil manifestius, quàm Euangelium à Propheta intelligi, & Legem

gem tamen dici. Quod quidem eò diligentius obseruan-
dum, quod Patres idem secuti, similiter Euangelium
nomine Legis sæpissimè appellarint. Sed vt Propheta
minimè inter se ista confundit, nec ex communi eodemq;
nomine, vnùm et idem Doctrinæ genus statuit, Euan-
gelium cum Lege, sed accuratis limitibus illud ab hac
discernit: Ita nec Patres ex nomine, vnum & idem
doctrinæ genus Euangelium & Legem opinatos esse ex-
istimandum est. Qui vt sibi non ignotum esse discrimen
Legis & Euangelij testarentur, illam veterem et
hoc nouam Legem appellarunt, nec discrimen in nomi-
ne, sed potius in re ipsa posuerunt.

XIX.

Ac valdè non tantum vtile: Sed & incundum
est in vestibulo huius partis doctrinæ videre, quam ac-
curatis limitibus Propheta Euangelium, quod Legem
vocat, à Lege discernat. Itaq; collatio, quam appella-
tione Legis instituit, talis est. 1. Cum Lex in monte
Sinai data sit: Hanc legem, quod Euangelium est, in
monte Sion vult expectari, vbi effuso Spiritu Sancto
Apostoli edocti de eius Arcano, in vniuersum terrarum
orbem illud diuulgarunt. 2. Cum Lex in deserto inter
Vagos locum inuenerit, istam Legem ostendit urbem

H 3

habita

habitata, & quidem cœlestis ciuitatis imaginem refe-
rentem, Hebr. 12. occupaturam, & ex ea latissimè pro-
gressuram. 3. Cum Lex auditores suos trepidantes
cum mortis comminatione à culmine Montis repulerit
& reiecerit: Istam, edocet suos auscultatores lætantes
cum exultatione, ad fastigium montis admissuram &
attracturam esse. Deniq̃ cum illa lata vni populo in
Sina incusserit tantum timorem, vt nec vocem Dei am-
plius ferre potuerit: Istam in multis gentibus eiusmodi
iudicium facturam promittit, vt sequatur pax, cum
summa animorum tranquillitate. Tàm accuratis &
illustribus limitibus cum Euangeliũ, cui nomen Legis
tribuit, à Lege discernat Propheta, quĩ Euangelij do-
ctrina, vna eademq̃ cum Legis ex nomine tantum repu-
tari potest?

XX.

Sed quia ex definitione propius videtur & cog-
noscitur, qualis ea doctrina sit, inprimis illa oculis ani-
moq̃ subiicienda est, Tradita autem est talis: Euange-
lium est prædicatio pœnitentiæ & Promissionis, quæ
non est naturali luce nota, sed ex arcano consilio Tri-
nitatis per Filium prolata, qua Deus exhibet remissi-
onem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiri-
tus sancti, iusticiæ, et Vitæ æternæ propter Mediatorẽ
& per eum, gratis, fide accipientibus Promissionem.

Sed

Sed hæc, quia simul meminit prædicationis pænitentiae,
arguentis peccata, quod proprium Legis est, Genera-
lis est, nec nisi Euangelio ^{noivōs} usurpato convenit.

XXI.

Quare in propria acceptatione Euangelium est
promissio, in qua propter Filium Dei Mediatorem offe-
runtur Gratis, non propter nostra merita, remissio
peccatorum, imputatio iusticiæ, donatio Spiritus San-
cti, hæreditas iusticiæ & vitæ æternæ omnibus, qui in
Filium Dei credunt. Ista est propriissima Euangelij
definitio, cum qua congruit Nazianzeni: Euangelium
est prædicatio novæ salutis.

XXII.

Nec dubium est, istam, ex his perspicuis & immo-
tis scripturæ dictis, desuntam, Euangelium promissum
per Prophetas in scripturis Sanctis Rom: 1. Qui cre-
diderit & baptizatus fuerit, saluus erit Marci ultimo.
Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Iohan 3.
Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quod
si confessus fueris ore Iesum, & credideris in corde
tuo, quod Deus eum excitaverit ex mortuis saluus
eris Rom: 10. Et, Huic omnes Prophetæ testimo-
nium perhibent, Remissionem peccatorum per eum
G 4 accipere

accipere omnes, qui credunt in eum, Actor 10. Hec omnia lætissimum Euangelij nuncium de Remissione peccatorum, & salute credentibus per Christum donanda, complectuntur.

XXIII.

Etsi autem Legis explicatio est, & ex Antithesi cum alia peccata, tum in specie arguit & damnat incredulitatem, cum dicitur, Qui non crediderit condemnabitur, Qui nõ crediderit in Filium, ira Dei manet super eum: Tamen hoc non proprio & principali facit munere, sed alieno opere Legis, cuius proprium est, peccata arguere, & ipsam etiam incredulitatem, fontem & radicem omnium peccatorum. Hinc D. Lutherus ad Galat: 3. ut dixit: Scripturam omnia concludere sub peccatum: Primum promissionibus de Christo, Gen: 3. & 22: Deinde præcipue per ipsam Legem: Diserte addit istam declarationem: Per contrarium ostenditur ijs, qui benedicendi sunt, subiectos esse maledictioni, hoc est peccato & æternæ morti. Alioqui quid opus esset promittere benedictionem? Et Paulò post, omnia damnata sunt: Per quid? Per scripturam, Quam? Primum per promissionem istam Gen: 3. Deinde per totam Legem cuius propriissimum officium est, peccato subijcere.

Hanc

XXIV.

Hanc autem promissionem, unam eandemque esse omnibus temporibus, cum veteris, tum Novi Testamenti, constat ex eo, quod unus Mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus 1 Timoth: 2 qui quidem heri & hodie, & idem est in secula: Hebr 13: Heri quidem, interprete D. Bernhardo, ab initio seculi vsq; ad Dominicam ascensionem. Hodie vero exinde vsq; ad seculi consummationem, & quidem in omnem aeternitatem futurus. Quia verò semper Christus, igitur eadem Evangelij vox, & eadem salutis consequenda ratio, ut dicitur Ephes 4. unus Dominus, una fides &c. Et à D. Ignatio in Epistola ad Philadel. εἷς ὁ θεὸς καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ γεννητὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς ὁ ἀειγενὴς ὁ ἀειὸν ὢν ὁ ἀσπαστὸς ὁ ἀκατάρακτος ὁ ἀκατακτάτος ὁ ἀσπαστός. εἷς ὁ μετὰ τῶν ἀποστόλων δεῦξ καὶ ἀνθρώπων.

XXV.

Non igitur cœpit tantum Evangelium nato in hoc seculo, Christo Homine, sed eius promissio statim post lapsum patefacta est primis hominibus: Semen mulieris conteret caput serpentis &c. Qua ex morte crepti, vitæ restituti, & Deo reconciliati sunt. Hæc prima Evangelij concio, qua cœpit Ecclesia in genere humano, lapsu primorum parentum pessundata, instaurari: Hæc repetita ad Abraham & eius posteritatem, Genes: 12 22. 26. &c. Et ut melius in genere humano conseruaretur, non

H

tur, non

tur, non tantum alligata est certæ genti, & in ea certæ tribui Genes. 49. Sed & in hac certæ familiæ Psalm 89. 132. 2. Sam: 7. Hæc & per Moisen et Prophetas contestata, declarata & illustrata est.

XXVI.

Non itaq; vetus Testamentum licet maxima ex parte Lege occupetur, Euangelij expers & vacuū est, sed dulcissimas eius promissiones, splendidissimis verbis, & pulcherrimis figuris ornatas, passim habet inspersas, quales sunt: Miserebor cuiuscunq; miserebor, commiserabor, quemcunq; commiseror Exod. 33. Et: si peccata vestra fuerint, vt Coccinum, sicut nix dealbabitur, Si fuerint rubra quasi vermiculus, vt lana erūt alba. Iesai. 1. Et deleui vt nubē iniquitates tuas, & quasi nebulam, peccata tua, Reuertere ad me, quoniam redemi te. Iesai: 44. Et. Ezechiel 18. & 33. Vivo ego Deus, nolo mortem peccatoris. Et. Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras & projiciet in profundum Maris omnia peccata nostra. Micheæ 7.

XXVII.

Hæc nihil quicquam differunt à Noui testamenti promissionibus, nisi euidencia & modo. Euidencia in Nouo testamento, dum in presentis rei veritatem exhibito Christo, licet oculos defigere, magis perspicua & illustris est, Vnde Luc. 10. Christus beatos prædicat
discipulo

fuisse deliberationem summam & grauissimam, de genere humano saluando, edocet Apostolus Ephes: 1. cum ait: Elegisse eum nos in Christo, antequam jacerentur fundamenta mundi. Vnde vtrunq; intelligi potest, & ab eterno in Deo eam reconditam fuisse, & non vllis hominũ, vel meritis vel dignitate eam cõparatam esse.

XXX.

Cui enim ea innotuisset, cum præter Deum nihil ab eterno esset? Et rebus iam conditis eam, Angelis & hominibus, & omni creaturæ obscuram & ignotam fuisse, tristissima hominis, ex lapsu suo consternatio demonstrat, cui cum doloribus mortis luctanti, nusquam vlla solatij et auxilij spes, nec in cælo nec in terra affulget. Quod verò ad eam, cùm nondum esset genus humanum, promerendam nihil attulit, multò minus tùm, cùm spreto Dei mandato, contumaciter se ab eo auerterat, & inita cum hoste illius Diabolo, societate, inimicum Deo & mortis reum factum erat, afferre potuit. Quare in primis hæc ex immensa Dei pietate promissio profecta, & promissio Gratiæ est.

XXXI.

Quia verò recondita in Deo, non alio etiam Deus vsus est istius arcanae volūtatis suæ Legato et Doctore, quàm vnigenito suo Filio, qui verè φιλόθεος mi-
rando

rando decreto totius Trinitatis beatæ, Mediator inter
Deum & homines constitutus, culpam & pœnam ge-
neris humani, vt satisfieret justiciæ Dei, in se recepit,
& primos homines, sensu iræ Dei, & doloribus mortis
prostratos erexit, & ex morte liberavit, allata viuifica
ista consolatione: Semen mulieris conteret caput ser-
pentis, id quod est, interprete Iohanne 1. cap: 3: De-
struet opera Satane, peccatum scil. & mortem, ex qua
certam salutis fiduciam eis concipere licuit.

Hanc ob legationem & magni consilij Angelus à
Propheta, & λόγος à Iohanne, & ἑρμηνεύς καὶ ἑωαγ-
γελτικός τῶν μεγάλων τῶ θεῶ βασιλευμένων à Nazian-
zeno vocatur.

XXXII.

Constat igitur, Deum ineffabili amore, & immen-
sa misericordia erga genus humanum motum, misertū
esse eius interitus, et commiseratione tam tristissimi ex-
itij impulsū, istam promissionem per Filiū patefecisse,
Iohan: 3. Sic Deus dilexit Mundum &c.

XXXIII.

Quia vero promissio Gratiæ, verè etiam gratuita
est qua gratis sine vllis Angelorum & hominum meri-
tis ex sola Dei misericordia offertur remissio peccato-
rum, reconciliatio & acceptatio ad vitam æternam: vt
dicitur Rom. 3. Iustificantur gratis per Gratiam Dei,

H 3

rep

per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, Item Rom. 11. Quod si per gratiam, iam non ex operibus, quandoquidem Gratia iam non est Gratia: Et ab Augustino Epistola 105: Queritur meritum misericordie quod nec inuenimus, quia nullum est, ne euacuetur Gratia, si non gratis detur. Atq; ista prima & præcipua est promissionis Gratiæ proprietates, quod gratuita sit, nullis viribus, nec meritis nostris comparata. Quæ quidem maximam habet vim contra tentationem de Indignitate nostra, quod nihil vel meritorum, vel operum bonorum ad Deum adferamus, aut etiam alijs hominibus longe peiores & deteriores simus.

XXXIII.

Promissio verò quia sine assensu & applicatione, nec fructuosa, nec salutaris est, oportet, vt apprehensa applicetur. Sed hoc non nisi Fide fieri potest, quod promissio & fides correlatiuè se habeant, et mutuò respiciant, ita vt promissio fidei sit obiectum, Fides verò promissionis quasi instrumentum, seu manus, qua ea accipitur. Itaq; hanc imprimis requirit promissio, Perinde vt manifestè ostenditur, Heb. 4. Vbi dicitur: Nam & nobis annunciatum est sicut & illis At non profuit illis audire sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus ijs, qui audierant. Introimus enim in requiem nos, qui credidimus,

didimus. Quæ verba satis euincunt, promissionem fide
apprehendi oportere. Ista itaq; altera est ex proprietati-
bus promissionis gratiæ præcipuis, vt fide accipiatur et
applicetur. Et huius quidem magnus etiam vsus & ef-
ficacia est contra inherentem in nobis immunditi-
em, quæ nos Deo placere non permetteret, nisi promissio
gratiæ semper hoc exigeret *μόνον πίσειν.*

XXXV.

Nec eam ob causam promissionem Gratia condi-
tionalem esse sequitur, quod fidem exigat, Cum ex istis
luce meridiana clarius sit, non vt conditionem, sed ex
ordine & natura correlatiuorum, eam requiri. Cum fi-
des non nisi promissionis sit fides, & promissio non nisi
fidei, quo nitatur, fulcrum & fundamentum. Quare et
si fides requiritur, nihilominus tam perpetuò est & erit
promissio Euangelij gratuita, Nec enim aliud est fides,
quam assentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc
promissioni gratiæ, & est fiducia promissæ miseri-
cordiæ, qua cor propter Mediatorem liberatur ex
doloribus inferorum, accedit ad DEum, & inuocat
eum.

H 4

Etsi

XXXVI.

Etsi autem fides non est omnium 2. Thessal: 3. Tamen promissio illa gratiae ut de omnibus data, ita ad omnes pertinet, Cuius rei documento sunt evidentissimo istae: In Semine tuo benedicentur omnes gentes Genes: 12. Et Quisquis inuocauerit nomen Domini, Ioel. 2. Rom: 10. Conclufit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur, Item Deus vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem Veritatis peruenire 1. Timoth. 2. Quibus respondet summæ humanitatis, amoris, & pietatis vox Saluatoris nostri, quam totius mundi Concionem vocat Augustinus Epistola 45. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, & ego refocillabo vos. Hanc omnes audire debebant, nec eam à se alienam statuere, ne mendacij arguerent Deum 1. Iohau. 5. Verè itaq; promissio Euangelij vniuersalis est. Cuius ista tertia est proprietas valde necessaria et salutaris, ad eximendam tentationem grauißimam de Particularitate, qua non singulis & vniuersis, sed aliquibus tantum Remiss: peccatorum & reconciliationem cum Deo annunciari existimatur.

XXXVII.

*Impium itaq; & horrendum auditu est, eam indefinitam, non vniuersalem esse, cum hac ratione, non tantum contradictoria in Deo fingantur voluntates, quæ
ei ut*

ei, ut naturæ veracissimæ & hominum amantissimæ non sine blasphemia affinguntur: Sed & abominabile ei $\pi\rho\sigma\omega\pi\omicron\lambda\eta\psi\iota\alpha\varsigma$ crimen tribuatur, à quo & toties se omnino alienum esse testatur & sapissimè omnes homines dehortatur. Et deniq; præcipua & firmissima consolatio tentationi de Particularitate opposita, conscientijs anxij & afflictis prorsus eripiatur. Quid enim scrupulosius & ad desperationem efficacius, quàm audire, quosdam tantum oneratos à Filio Dei vocari refocillandos non omnes, et quibusdam tantum gratiam offerri, & peccatorum veniam annunciari, non omnibus. Hæc manifestam important implicationem contradictionis promissioni gratiæ, et laqueum desperationis iniiciunt territis conscientijs. Ideo firmiter & constanter oportet statui, credi & doceri, promissionem Euangelij vniuersalem esse.

XXXVIII.

Quicquid autem ea promittit & pollicetur, non nisi per & propter Iesum Christum solummodò promittit. Quod ut ait Baptista omnes ex plenitudine eius accepimus, Gratiam pro Gratia. Et Apostolus, Omnes promissiones in Christo Iesu sunt Amē. Itaq; $\text{ὁ θεὸς μ. ε. υ. ο. υ.}$ subiectum seu Materiale Euangelij, cuius est promissio ista, principale est Dominus & Saluator noster Christus

I

stus

stus Iesus, in cuius persona monstranda, officio explicando, & beneficijs enarrandis, totum illud potissimum occupatur & consumitur, id quod apparet ex eo, quod Apostolus apud Corinthios Euangelij Doctor, iudicavit, se inter eos nihil nisi Iesum Christum scire. I. Corinthios 2.

XXXIX.

Hoc vero illustrissimis documentis & indubitatis testimonijs tradit CHRISTVM IESV Messse unigenitum Dei Filium ab aeterno Patre ante secula natum, verum Deum de Deo vero, genitum non factum: et verum Hominem in seculo genitum, de Spiritu Sancto ex Maria Virgine incarnatum, ut idem CHRISTVS sit, verus Deus & verus Homo, ut luculenter edocent ista dicta Ioan. I In principio erat Verbum &c. & Deus Verat Verbum. Et Verbum caro factum est & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius tanquam unigeniti à Patre, & Galat. 4. Misit Deus Filium suum natum de Muliere.

XL.

Quare in Christo Iesu Domino nostro, duas naturas Diuinam & Humanam, contra veteres & recentes haereses Samosatani, Arii, Itemq; Valentini, Manichaei

Chael & aliorum confitemur: Diuinam, qua ὁμοῦστος aeterno Patri, & per omnia ei equalis. Iohan 10. Ego & pater vnum sumus. Item ego in patre & pater in me, Iohan. 14: Humanam, qua ὁμοῦστος nobis, Patre quidem minor & nobis in omnibus similis, excepto peccato, Luc. 1. Concipies in utero & paries Filium: Hebr. 1. Semen Abrahae assumit, vnde debet per omnia fratribus similis reddi. Et Damasc: Sapiencia et virtus Filius Dei, Patri consubstantialis, veluti diuinum semen construxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus, carnem animatam anima rationali & intellectualem, primitias nostrae conspersionis, non semine, sed conditorio opere, per Spiritum Sanctum.

LXI.

Suntque duae illae naturae, ita inter se unitae, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως indiuisè & inseparabiliter, vt in vnam personam seu hypostasim coeant atque concurrant, vt habet Symbolum Chalcedonense. Etsi enim ἰσὺς & humanam Naturam non in vnitatem naturae, tamen in vnitatem personae assumpsit. Sic igitur Domini nostri Iesu Christi duas naturas, diuinam & humanam confitemur coniunctas inuicem, & secundum ἕνωσιν vnitatis, & vnam ἕνωσιν ex duabus naturis perfectam

perfectam & compositam, ut loquitur Damascenus. Nec enim, dicente Nazianzeno, duplex est factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens & δύο γενόμενος inquit, ἀλλ' ἐν ἑκ τῶν δύο γενέσθαι ἀναρχόμενος. Non itaq; duo Filij, nec duo Christi, Sed unus Filius et unus Christus Dei & hominis Filius, ut dicitur, unus Dominus Ephes. 4. Et 1. Corin. 8. Et unus Mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus 1. Timoth. 2. Itaq; iuxta Decretum Ephesinae Synodi: Deum ex Virgine natum; & Mariam θεοτόκον Dei Genetricem esse asserimus.

XLII.

Sic igitur λόγος non tantum assistentia & societate adest humanae naturae assumptae, ut ceteris Sanctis, sed unione hypostatica, omni plenitudine Diuinitatis habitante personaliter in Christo. Nec humana natura velut accidens quoddam Deitati λόγος accessit: sed ad constituendam σύνθετον ὑφίσταμενον assumpta est, ut verè ad integram & perfectam personam λόγος incarnati indissolubiler pertineat, nec diuina eius natura, extra aut citra eam, vel quæri, vel inueniri se velit. Nec etiam hac unione admirabili Trinitati beatæ, quarta persona addita est, sed ut ab æterno fuit unus Deus in Trinitate, & Trinitas in unitate: Ita est & erit in omnem æternitatem, post illam duarum natura-

rum

rum unionem factam, quod ἰωσάσις Dei λόγος sit
ἰωσάσις carni, dicente Damasc. subsistens iam in dua-
bus naturis inseparabiliter unitis, ut multis declarat
Athanasius in Epistola ad Epictetū contra Hæreticos.

XLIII.

Quanquam autem Vetustas, in hoc magno myste-
rio unionis duarum naturarum Christi, usa est mixtio-
nis voce: tamen quia Epistola ad Hebr: propositionem
istam: Verbum caro factum est interpretatur verbo
assumēdi, certò certius est duas naturas inter se nec con-
fusas, nec mixtas, nec mutatas esse, sed quamlibet ita
suas & habere & retinere proprietates essentielles, ut
alterius naturæ idiomata fieri nequeant: Unde Dama-
scenus non ut ἰωσάσις σύνθετον id est personam compo-
sitam: Ita & φύσις σύνθετον naturam compositam esse
multis contendit. Sicuti enim mixtio tertiam siue me-
diam quandam naturam neq; Patri neq; Matri, consub-
stantialem produceret: Ita mutatio unius in alteram,
alterutram prorsus aboleret, nec sublata hac ratione
naturarum differentia, proprietates utriusq; naturæ
conseruari possent. Quare ut habet Symbolum Chal-
cedonēse, Χριστὸν ἐν δύο φύσιν ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως
γνωριζόμενοι contra Eutychem credimus & docemus.

XLIV.

Nec tamen unionem illam, ut loquitur Damasce-

I 3

nus,

nus, facimus secundum phantasiam seu apparentiam
 fallacem: Sed ἀληθῆ veram & realem, eamq̄ cum or-
 thodoxis asserimus esse Operationem totius Trinitatis,
 qua diuina natura λόγος, humanam naturam ex Maria
 Virgine sine confusione, trāsmutatione et exæquatione,
 inseparabiliter ad constituendum vnum ὑφιστάμενον as-
 sumit, & humana natura assumpta in persona λόγος sub-
 sistit & sustentatur, vt opus redemptionis perficiatur,
 vt dicitur in Epistola Leonis ὁρθοδοξίας σύλη· σωζομέ-
 νης τῶν τῆς ἰδιότητος ἑκατέρως φύσεως καὶ εἰς ἓν πρό-
 σωπον συνιδῆσθαι ἀνελύθη, ἀπο μὲν τῆς θεότητος ἡ ταπει-
 νότης, ἀπὸ δὲ τῆς δυνάμεως τὸ ἀδύνατον ἀπὸ, τὸ δὲ ἀνα-
 θανάτῳ τὸ θνητὸν salua proprietate vtriusq̄ naturæ, &
 in vnam coeunte personam suscepta est, à Deitate hu-
 militas, à virtute infirmitas, & ab æternitate mortali-
 tas, Quam etiam Vetustas similitudine corporis & ani-
 mæ humanæ, aliquo modo declarauit.

XLV.

Cum itaq̄ arctissimo isto fœdere, duæ naturæ vni-
 tæ, nec separentur, nec confundantur, consequitur, non
 tantum, quandam inter ipsas vnitatis esse communi-
 onem: Sed et inter earum proprietates participationem
 & communicationem quandam, quæ si non esset, nec
 Deus homo: Nec Homo Deus, verè & esset, & dici
 posset. Multò minus Semē mulieris conterere caput ser-
 pentis,

pentis, & Dominus gloriae crucifixus esse, cum rei Veritate perhiberetur. Ut autem unio imaginaria, Phantastica & verbalis non est: sed vera, reipsa, & realis: Ita nec istarum naturarum communio & idiomatum participatio, vel imaginaria, vel verbalis aestimanda est. Sed vera & realis, talis tamen, qualis unio, iuxta Regulam usitatam: Qualis unio, talis communicatio. Est autem unio personalis? Ergo & communicatio. Non igitur Physicam neque essentialem sed hypostaticae unioni, sine confusione, convenientem asserimus, firmiter retinentes Regulam: Propria non egrediuntur sua subiecta.

XLVI.

Haec autem communicatio non fit uno eodemque modo. Nam aut propria naturarum fiunt communia Personae, aut una natura agit cum communione alterius, quod cuiusque proprium est, aut diuina natura communicat humanae, non tantum dona finita, sed maiestatem suam, qua omnipotentiae suae opera in illa, cum illa, & per illam exerit et perficit. Itaque tria distincta genera communicationis idiomatum esse, non dubium est.

XLVII.

Ex his autem primum illud est, quod consuetudine obtinuit apud Scholasticos, in specie *κοινωνία ἰδιωματικῶν*

I 4

dici

dici, quando propria diuinæ naturæ de Filio hominis &
 propria humanæ de Filio Dei dicuntur. Cuius quidem
 ista definitio est tradita: Quod sit prædicatio, qua pro-
 prietas vni naturæ cōueniens, tribuitur personæ in Con-
 creto, vt Dominum gloriæ crucifixerunt 1. Cor: 2. Et
 antequam Abraham erat ego sum, Iohan: 8. In his
 τὰ τῶν φύσεων ἰδίᾳ κοινὰ τῷ προσώπῳ γινώσκει, propria
 naturarum personæ tribui, ita asseueramus, vt nunquā
 tamen vtriusq; naturæ propria fiant, Et vt cuius na-
 turæ sint propria, melius intelligatur, declarationem
 addi per particulas secundum, in & similes, vt dicitur
 Rom. 1. Christus genitus ex semine David secundum
 carnem & 1. Petri 4. Christus passus in carne. Ac
 quia concretum personam: Abstractum naturam de-
 signat, utilis & necessarius est vocabulorum Concreti
 & Abstracti vsus & discrimen. Etsi enim Naturæ
 non separantur nec diuiduntur: tamē vt Iustinus Mar-
 tyr inquit: intelligentia Rationis Naturam, cuius id,
 proprium est, quod fit, consequi licet, in expositione
 Fidei.

XLVIII.

Nec nomine Personæ intelligimus vnā tantum
 Naturam nudam exclusa reliqua, vt facit alleosis Sa-
 cramentaria: Sed cum vnio hypostatica complectatur
 vtramq; naturam, diuinam et humanam inseparabiliter
 verè

Verè & realiter diuinæ omnia illa attribuuntur, quæ
 humanæ accidunt, Et rursus humanæ tribuuntur om-
 nia, quæ diuinæ sunt. Hinc etsi diuinitas, quæ vita
 est immutabilis, non moritur: Tamen reuera Deus mo-
 ri dicitur, quod Filius Dei, verè Deus, qui moritur in
 carne. Vnde Cyrillus de reëta fide ad Theodos: Non se-
 cundum seipsum mortuum est verbum: Sed dicimus,
 quod mortua eius carne, ipsum hoc dicatur pati: Et A-
 thanasius ad Epictet: Quod humanum patiebatur cor-
 pus, hæc eadem verbū, quod corpori coniunctum erat,
 ad se referebat. Nisi enim vnio firmissima etiam in mor-
 te mansisset, quæ mors Christi sufficiens esset pro pecca-
 tis nostris $\lambdaύτρωσιν$, quod infinitum esse oportebat?

XLIX.

Alterum genus communicationis $\kappaοινωνία$ dictū,
 est, quo nomina officiorum, non vni naturæ, sed perso-
 næ tribuuntur, quod ista agit & operatur, non tantum
 in, cum, vel per vnam naturam: Sed potius in, cum, se-
 cundum & per vtranq; naturam. Itaq; Chalcedonensis
 Synodus illam definiuit quod sit: Quando vtraq; natu-
 ra agit cum cōmunicatione alterius, id quod cuiusq;
 naturæ proprium est. Quod quidem & Epistola habet
 Leonis antea citata $\epsilonνεργει δ' ενατέρας μορφη μετά τωσ
 δατ' ος κοινωνιασ, οπωερ' ιδιον εχουσ.$ Sic igitur Christus
 Iesus Mediator, Redemptor, Saluator, Rex, Summus,

K

Sacer

Sacerdos, Caput, Defensor, Custos et Pastor noster est,
non secundum unam tantum naturam vel diuinam vel
humanam sed secundum utranq̃. Ideoq̃ officia illa cum
beneficijs, pertinent ad personam, quæ habet actiones et
operationes, nõ in vna, sed in vtraq̃ natura. Nam eam
ob causam mirando decreto facta est unio duarum na-
turarum in vnã ^{ut dicitur in 2. Cor. 13. 14.} ut Persona Mediatoris no-
stri, in, cum, & per vtranq̃ naturam operaretur & ef-
ficeret ea, quæ opus redẽtionis & salus nostra desidera-
ret. Sicuti alibi traduntur huius mirandæ unionis &
quidem singularum in ea naturarum causæ.

L.

Tertium genus communicationis illud, de quo Ec-
clesiis nostris cum Sacramentarijs grauis dissensio est,
nec iniusta contentio, pro gloria Domini & saluatoris
nostri asserenda, & præcipua consolatione nostra con-
seruanda. Est autem illud, quæ diuina natura verbi,
quod perfectum & absolutum, & nullius rei indigum
est, ut loquitur Athanasius in 2. Oratione cõtra Arian:
Communicat humanæ naturæ assumptæ, quæ paupertas
na, diuinæ nihil conferre potest, virtutem & Maiesta-
tem ad officia Regni, Sacerdotij & Domini collati,
sustinenda & exercenda.

Ideo

L I.

Ideo enim mirando Dei decreto à Filio Dei, ad ostendendam ardentissimam Dei φιλαυδοσωσιαν, & ad Satanae mendacium, de Dei erga hominem inuidia confundendum, humana natura personaliter assumpta est, ut actionum operationum, victoriarum & gloriae Filij Dei in liberando genere humano esset socia, consors, & particeps. Itaque, ut in his cooperari posset, integra natura & saluis proprietatibus essentialibus, praeter illas suas vires & proprietates naturales, maiora ei dona, & praerogativas singulares communicandas esse, scriptura manifeste testatur, dicendo unctum eum praesortibus suis Psal. 45. Et omnia subiecta esse pedibus eius, Psal. 8. Et dominabitur à mari usque ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terrarum Psal. 72.

L II.

Sunt autem dona illa duplicia, alia quidem creata et finita: Alia increata & infinita. Finita sunt innumera illa, quae ὑπερφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ à Scholasticis dicta, caelestia & spiritualia sunt, & licet non essentialia sint: tamē humanae naturae formaliter et subiectivè tantquam divinae naturae effecta inhaerent, ut illa ineffabili et incomprehensibili luce, sapiētia, potētia, fortitudine, gloria, claritate et beatitudine, omnes angelos et homines

K ij longe

longe exuperet & euincat. Sicuti perspicue edocent ista
dicta Iesai. II. Spiritus Domini, Spiritus sapientiae &
intelligentiae, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus
scientiae & pietatis requiescet super eum, & Spiritus
timoris replebit eum: Psal. 45. Speciosus prae filijs ho-
minum, effusa est Gratia in labia tua, eo quod Domi-
nus benedixit tibi. Item plenus Gratia & veritate Io-
han. I. Et non ad mensuram accepit Spiritum Io. III. 3.

LIII.

Sed praeter haec finita dona, quae formaliter &
habitualmente humana natura in se accepit, credimus &
confitemur per unionem hypostaticam et exaltationem,
etiam diuinam Maiestatem, gloriam, virtutem, & po-
tentiam, eam accepisse, quae solius diuinae naturae propria
est, & nequaquam finita. Non tamen in se, secundum
se, & ex se ipsa: Sed in persona λόγος qui omnia omni-
potentiae suae & Maiestatis opera in ea, cum ea, & per
eam perficit & exercet, ut ita humana natura quae per-
sonaliter vnita est λόγος, differat non tantum à reliquis
Sanctis donorum ratione: Sed multò magis ratione
unionis, toto genere.

LIV.

Hanc Maiestatem communicatam à primo con-
ceptionis Christi tempore, in utero Mariae virginis, oc-
cultatam tamen in statu humiliationis, & per glorifi-
catio.

cationem, et exaltationem plenissimam eius usurpationem & ostensionem concessam esse asserimus, sine humane naturæ & proprietatum eius essentialium abolitione, destructione et exæquatione, perinde ut vetustas similitudine ferri candentis perspicuè illud declaravit.

LV.

Huius assertionis nostræ illustria extant documenta in sacris literis Matth. 18. Vbicunq; duo aut tres erunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Et ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi Matt. 18. Id quod, ut non tantum de se vero Deo, sed & homine intelligeretur, Paulò ante testatus est, sibi datam omnem potestatem in cælo & in terra. Præter hæc ab Apostolo Colos. 2. Omnis plenitudo diuinitatis habitare in Christo Iesu $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$: Et caro eius viuifica Iohan. 6 & Sanguis eius nos emundare ab omnibus peccatis dicitur 1. Iohan. 1. Hæc omnia non esse creatæ & finitæ potentie: sed solius diuinæ & omnipotentis naturæ, quis est qui non agnoscit? Sed ultra ista Apostolus dilucidissimè nobis proponit. Exaltationem humane naturæ Christi, ad tantam Maiestatem, quæ non nisi Dei propria est, cum ait Philip. 2. Deus illum extulit in summam sublimitatem, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum.

LVI.

Constat enim ex recepta Ecclesiae Regula, totius
 pie antiquitatis testimonio comprobata, omnia quae in
 tempore Christo data sunt, illi data esse, non secundum
 diuinam Naturam, quod dicente Athanasio in 2. Ora-
 tione contra Arianos: Verbum non accepit melioratio-
 nē, sed omnia habet & perpetuò habet: Verum secundū
 humanam naturam. Vnde idem Athanasius non ver-
 bum quatenus verbū & sapientia est, à Spiritu inun-
 gitur, cum is ab eo donetur, sed caro assumta ab ipso,
 illa est, quae in eo, ab eo inūgitur, vt sanctificatio, quae in
 eum, vt in hominem infertur, in homines deinde ab eo
 dimanaret. Sanctificatio nostra, quae fit per Spiritum
 Sanctum & solius omnipotentis Dei virtutis est, non
 tantū est à λόγῳ sed & à carne assumta. Ergo in, cum,
 & per humanam naturam exercet omnipotentiae suae
 opera λόγῳ

LVII.

Hinc Athanasius in Orat. 4. contra Arianos:
 Data mihi omnis potestas &c. Glorifica Filium: Et
 Data illi potestas 1. Petr. 2: Hoc intellectu omnia ista
 interpretemur, humanitus illū ob corpus suum ista om-
 nia loqui. Vbi quidem & rationem reddit: cur λόγῳ
 sibi quasi data confitetur, quae humanitus accepit, vt
 gratia

Gratia ipsa firma permaneret. Nā quōd merus homo accepit, id ei eripi potest, cuius rei specimen in Adam vīdimus, qui illud quod acceperat, perdidit. Verum ut Gratia inademtibilis esset, & firma homini custodiretur, eam ob causam, hanc donationem ut propriam sibi arrogat, dicit q̄: Se potestatem accepisse, quam semper habet, ut Deus. Idem Athanasius contra Arianos: verbo existente in carne exaltatus est homo, & accepit potestatem, ideo ista ad verbum referuntur, quia propter verbum data sunt: ideo enim, quia verbum in homine erat, istae Gratiae donatae sunt.

LVIII.

Et Augustinus cap. 16. Meditat: secundum id, quod homo est, ex qua parte minor te est, data est ei omnis potestas in caelo & in terra, ut in nomine Iesu omne genua flectatur. Ibidem. Iudicium omne dedisti Filio tuo, in cuius pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae, ipse testis & iudex, iudex & testis, quem nulla peccatrix conscientia effugere poterit. Hic cum iudicium Christo ut homini, Iohan 5. & eidem omniscientia & omnium cordium penetratio & inspectio tribuatur, quae solius omnipotentis virtutis et operationis sunt, quis nisi verbo divino contradicens, & à pie vetustatis sententia recedens, humanae naturae Christi communicatam Maiestatem divinam negabit?

K 4

Hor.

LIX.

Horrendum itaq̄ est talia et dici, & audiri, Christi humanam carnem ad efficienda miracula non plus contulisse, quam Apostolorum caro ad edita ab ipsis contulit, aut virga Moisis ad edenda miracula Moisi profuit. Quod si est cur Athanasius tantoperè vrget contra Arianos Oratione 5. Verbum manum suam corporalem exporrigendo, sanasse febricitatem, & vocem humanam edendo, excitasse Lazarum: manibus in cruce protensis Principem potestatis aëris, qui agit in filijs incredulitatis prostrasse, & viam ad cœlum puram nobis constituisse? Cur deniq̄ grauitèr subijcit? Nonne qui Templum vilipendit, vilipendit & Dominum, qui in templo est?

LX.

Multò autem horribiliora, vereq̄ blasphema sunt illa, quæ inuocationem ad carnem Christi in ὕψος αἰῶνι Filij Dei directam, Anathemate ferire, & blasphemie nomine traducere audent. Hæc quibus tribuat Athanasius, ex oratione eius 5 contra Arianos, satis est manifestum, cum par esse ait, pro Ethnicis eos haberi, & Iudæis annumerari, quorum istiusmodi insania & improbitas est. Tam horribile tanti viri iudicium, satis ostendit, magnam fieri iniuriam Patribus orthodoxis, eos docuisse inuocationem non ad humanitatem Christi dirigendam esse.

Cyrillus

LXI.

Cyrillus enim confutans in lib. de Recta fide ad
 Theodos: Arianos: qui Christum nudum hominem im-
 piè fingeant, & nos nudam creaturam adorare, falso
 contendebant: Primum apertè negat, Christum & nu-
 dum hominem esse, & nos nudam creaturam adorare,
 dicendo: Natura verbi, quæ humanitatem suscepit,
 nõ est nuda humanitas: Sed potius sua gloria assum-
 ptam superans, seruetur in incorrupta diuinæ celsitudinis
 permanentia: Deinde clarissimè demonstrat, in Christo
 duas naturas esse distinctas, diuinam & humanam per-
 sonaliter vnitas, cum ait: Qui Mulierem alloquebatur,
 vnus & solus erat Dominus noster Iesus Christus ex
 adorante Humanitate, & adorabili Deitate, vere in
 se habens, vt sit, & nominetur Deus simul & Homo.
 Hic humanam naturam adorantem, quæ non diceret,
 præsertim in statu humilitatis & exinanitionis, cū pro-
 pter eam, quæ opus habet gloria, dicatur: Pater glori-
 fica Filium? Tertio demum, quo modo fiat, & fieri de-
 beat inuocatio, ad totam personam Christi, ad quam hu-
 mana natura etiam pertinet, declarat, dicendo: Quem-
 admodum vna est fides, quæ in Christum, & vnum ve-
 rum Baptisma, quamuis baptizemus & credamus in
 Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: Secundum
 eundem opinor modum & rationem etiam vna adora-
 L tio est

tio est PATRIS, & INCARNATI FILII, & SPIRITVS SANCTI.

LXII.

Hic quid clarius, quid euidentius, quàm vt non nudum hominem adorari contra Arianos asserit: Ita etiam non nudum verbum, non nudam & solam diuinitatem Filij adorandam, contra Nestorianos eum statuere, cū dicit INCARNATVM FILIVM vna adoratione cū Patre & Spiritu Sancto inuocari? Hæc declarantur prolixius in sequentibus, dum vult nos ita inuocare, perinde vt credimus. Credimus autem in totam personam Christi compositam ex diuina & humana natura. Itaq; in persona etiam humanam naturam adoramus. Nec gloria Dei datur alteri, quia vnus & idem est Christus Iesus Deus & Homo. Sic igitur contra se citatur Cyrillus, qui licet humanam naturam adorantem nominet, non tamen ab Athanasio dissentit, affirmante, Corpus Domini Adorabile esse, oratione 5 Contra Arian: Vnde & Damasc. lib. 4. cap 1 de orthodoxa fide: Filius Dei adoratur vna adoratione cum CARNE sua ab omni creatura.

LXIII.

Itaq; in Christum Iesum verum Deum & Hominem, vt piè & sanctè credimus: Ita etiam eum omni
cordis

cordis nostri fiducia colimus & inuocamus, ardentissimis
votis precātes vt concessa peccatorum venia, reconciliet
nos aeterno patri, largiatur nobis Spiritum Sanctum & faciat
hæredes vitæ & salutis aeternæ. Adsit etiam nobis, regat,
defendat & tutos præstet aduersus insidias & furores
Diabolorum & hominum. Hæc non tantum à nobis religiose
fieri, iuxta mandatum aeterni patris in Euangelio datum:
Sed & non sine blasphemia in Spiritum Sanctum intermiti
posse, vt constanter asseueramus: Ita & fatemur nullum
nobis relictum dubitandi locum, de omnibus ijs, quæ de corpore
& sanguine suo nobis Saluator noster confirmauit, tum in
cœna Sacratissima, tum in alijs promissionib' suauissimis.

LXIV.

Sed cum vnigenitus ille Filius Dei, Homo factus, non sine Patre sit, Iohan. 14. nec etiam sine Spiritu Sancto, qui eius est Rom. 8, neq; sine Spiritu Sancto cognosci potest, vt dicitur Matth. 11. Nemo nouit Filium, nisi Pater, & 1. Corin. 13. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum Sanctum. Itaq; dum Euangelium clarissime nobis Filium Dei proponit cognoscendum, simul etiam illustrissime Patrem, & Spiritum Sanctum reuelat. Quare præter

voluntatis diuinæ, & quidem arcanae illius, quæ Euangely propria est, reuelationem, illustrissimam etiam essentia diuinæ, æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, cognitionem, Euangelium nobis tradit & aperit, multoq; clariorem, quam Lex Dei: Non autem ad alium Deum, quàm qui Legis est, vt Marcion voluit, nos deducit, Sed de illius beatæ & venerandæ Essentiæ vnitæ & Personarum Trinitate, huius instituti & temporis ratio non pluribus nos agere patitur.

LXV.

Euangelium autem imprimis nobis diuinitus immensa misericordia patefactum, vt fide promissionis eius vitam & salutem, propter Christum Iesum Mediatorem & Saluatorem nostrum consequamur, reconciliati Deo per mortem eius Rom: 5. manifestè testatum facit Ioh. 20. dicendo: Hæc scripta sunt vt credatis, quod Iesus est Christus ille Filius Dei, & vt credentes habeatis vitam æternam per nomen eius. Hinc & August. in oratione Habacuc Prophetæ: Euangelium tuum Christe, Salus eis est, qui credunt in te. Sic igitur Euangely sapientia, verè incomparabilis, cui nulla par, non modo nõ dici: Sed ne cogitari quidẽ potest, quæ Specula et Theatrum est, Preciosæ Dei Misericordiæ amplissimum & illustrissimum.

66 Hoc

LXVI.

Hoc sine cum patefacta sit ista doctrina, facile intelligitur ea maximè instaurari & colligi Deo aeternam Ecclesiam, in genere humano, ut & exemplū primorum hominum edocet, quibus spes salutis aeternae certa & indubitata facta est, edita ista promissione Evangelij: Semen Mulieris conteret caput Serpentis. Quare haec doctrina solius Ecclesiae est propria, Extra quam nulla est Salus, quod extra & praeter Christum, qui Salus Mundi, Salus nulla est, Actor: 4. Quia itaq; Christus citra hanc, & absq; hac doctrina, cognosci non potest, nemo etiam sine hac, Ecclesiae verae membrum & Salutis particeps fieri potest.

LXVII.

Ex ista enim poenitentia (sine qua omnes simul pereunt) ut vera & salutaris sit, solum habet, cum dicente D. Luthero, ex Lege solum dimidiū vel initium poenitentiae sit, & si perseueret, poenitentia Cain, Saul, Iudae, & omnium de misericordia Dei diffidentium & desperantium fiat.

LXVIII.

Praeterea ex ista sola promanant suauissimae consolationes conscientijs sensu irae Dei & concursu ingen-

rium calamitatum afflictiis, maxime necessaria: De Remissione peccatorum: De presentia Dei in arumnis: Et denique de Portu, sempiternae quietis & tranquillitatis consequendo, post hanc naufragam vitam in aeterna, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, ut ait Augustinus.

LXIX.

Etsi igitur cognatio ea est Euangelij cum Lege, quam supra ostendimus: Tamen ex his omnibus, quae de utroque doctrinae genere proposita sunt, satis luculenter apparet, certis, perspicuis, & immotis limitibus, ea inter se distincta & minime confundenda esse, quod longe diversissima sint. Itaque discrimen eorum, tam necessarium est, ut quam maxime, quod ad Fundamentum, quod Christus est, hoc pertineat, et lumen sit, in uniuersa Ecclesiae doctrina, sine quo nemo hominum seipsum recte nosse, multo minus Christum vere cognoscere potest: Sit etiam norma & regula, controuersias de iustificatione et alijs grauissimis articulis praecipue gubernans & dijudicans, ut verissimum, sicut in alijs, D. Lutheri iudicium sit: sublato Legis & Euangelij discrimine, totius Theologiae confusionem sequi, id quod satis probant densissimae tenebrae & horribiles errores in Ecclesia, superiorum temporum, ante lucem Euangelij diuinitus rursus accensam.

Nemo

LXX.

Nemo omnium, qui sanæ mentis est, negare potest, aliud esse Doctrinam præcipientem & damnantem, aliud Promissionem offerentem peccatorum Remiss. gratuitam, cum imputatione iusticiæ, & donatione Spiritus Sancti, & vitæ æternæ, non propter opera & merita nostra, sed propter Christum Mediatorem. Nihil autem illustrius est, ex utriusq; doctrinæ ratione & proprietate, hæctenus exposita, quam Legem eiusmodi esse doctrinam, quæ obedientiam omnibus numeris absolutam, & sibi perfectè congruentem, summo rigore, sine aliqua venia & condonatione mandet, sanciat, postulet & efflagitet, sub æternæ maledictionis comminatione & poena; Euangelium autem propriè esse promissionem, quæ gratuito annunciat remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iusticiam & vitam æternam propter Christum Mediatorem. Quare inter se, Lex & Euangelium, quàm diuersissima sunt, & licet coniungenda sint, nequaquam tamen confundenda.

LXXI.

Constanter itaq; retinemus discrimina in Ecclesiis nostris ex firmissimis documentis Sacrarum
L 4 literar;

literarum desumpta. Quorum primum est à notitia, seu
forma notitiae utriusq; doctrinae: Lex Naturâ nota est,
insita mentibus in creatione, nec etiam post lapsum
prorsus extincta Rom. 1. & 2. Euangelium verò non
est naturâ notû: Sed sapientia in mysterio abscondita,
1. Corint: 2. & à Filio Dei ex arcano sinu Patris re-
uelata Iohan. 1.

LXXII.

Secundum à Materia. Lex est doctrina præcipiens,
quales nos esse oporteat, postulans nos esse conformes
Legi & damnans omnes non conformes, Deuter. 27.
Rom. 10. Euangelium est promissio Remissionis pec-
catorum, reconciliationis, & acceptationis ad vitam æ-
ternam propter Christum Iesum, Rom: 1. & 10.

LXXIII.

Tertium à diuersitate & forma promissionum,
Lex promittit vitam æternam, et corporalia bona cum
conditione perfectæ obedientiæ interioris & exterioris
Rom 10. Deuter 27. Itaq; promissiones eius verè Con-
ditionales sunt, vt non impleta conditione pro præmio
pœnam quisq; ferat: Euangelij promissio, vt vniuersa-
lis: Ita verè gratuita est, per & propter Christum, et
sola Dei misericordia, gratis offerens Remissionem
peccato.

peccatorum, & vitam eternam Rom: 3. Sic igitur illustrem differentiam promissionum Legis & Evangelij facit mentio, Primum Mediatoris, Deinde particula gratis.

LXXIV.

Quartum ab effectu. Lex monstrat, accusat & damnat peccatum, nec supeditat aliquas vires implendi Legem, sed iram denunciat, terret, & enecat, Rom: 3. & 7. Evangelium verò liberat à peccato, morte & damnatione, & imputata iusticia donat Spiritum Sanctum & vitam eternam Rom. 1. 6. & 2. Corin. 3. Hæc discrimina illustrantur pulcherrima allegoria ab Apostolo Galat. 4. ex qua etiam in primis videre licet, verbis quidem facile esse Legem ab Evangelio discerni, Sed ~~omnium~~ omnium difficillimum vt habet D. Lutherus.

LXXV.

Nec Patribus orthodoxis ista fuisse obscura & ignota, perspicuè edocent eorum verba & dicta, quorum aliqua in conspectu haberi valdè prodest. Iustinus Martyr in Respons. quæst. 97. dicit: Gratia per magna est aduersus delinquētes vis et potentia, hæc namq; adhuc Lege dominante, nisi Regem Dauidem duplici

M plici

plici capitali peccato implicatum excepisset, eiq; pœnitentia fore aperuisset, non inuenisset ille apud Legem, quæ peccatores seruare posset, humanitatem &c. Idem Iustinus quæ est: 104: Lex seueritatem noxæ non remittende habet, Gratia tamen peccatori pœnitentiam concedit. Tertullianus in lib. de præscrip. aduersus Hæreticos, Quis nesciat quod Euangelij Gratia euacuatur, si Christus ad Legem redigitur. Idem lib. 5. contra Marcion: Euangelium Christi à Lege euocat ad Gratiã, non à creatore ad alium Deum. Ambrosius Epist. 62. Lex seueritatem gladij habet, tanquam Pædagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem, pœnæ saltem denunciatione terreat: Euangelium autem indulgentiam habet, qua peccata condonantur. August. in sermone 72 de tempore: Lege terret, Euangelio conuersos sanat: Idem tractat. 3. super Iohannem, Per Seruum Lex data, reos facit, per Imperatorem, indulgentia data, reos liberat. Hieronym. 5 cap. super Ecclesiast: Lex rigida, inbenigna, non parcens peccantem interficit: Euangelij Gratia miseretur & ad pœnitentiam prouocat. Bernhard. Sermo in Festum Magdal. vbi abundauit delictum: superabundauit & Gratia: numerositatem criminum prænderans pietas intercludit. Lex misericordiam nesci, nouit iusticiam

tiam : Lex dura duris & lapideis promulgata, parata
percutere, nesciens misereri Lex excludens pœnitenti-
tiae locum.

LXXVI.

Ex his quid manifestius, quam Patres quoq; accu-
ratis limitibus Legem ab Euangelio distinxisse, nec
hoc cum illa confudisse? Quid etiam clarius, quam pror-
sus à veritate alienam et impiam illam imaginationē de
triplici Legis distinctione, qua fingitur alia naturæ,
alia Mosaica, alia Evangelica, & asseritur, quosuis ho-
mines sua cuiusvis ætatis Lege saluari. Hanc distin-
ctionem Manichæis in usu fuisse ex 19. lib. cap. 2. Au-
gust. contra Faustum constat, quam tamen Pontificij
mordicus retinent. Ei autem breuitatis causa recte
opponi posse iudicamus, vnicum illud August: in lib. de
dogm. Christ: cap. 48. cum inquit: Sicuti eis, qui vo-
lentes in Lege iustificari à Gratia exciderūt, verissime
dicit Apostolus: Si in Lege iusticia, Ergo Christus
gratis mortuus est: Sic eis qui Gratiam, quā commendat
& percipit Fides Christi, putant esse naturam, ve-
rissime dicitur: Si per Naturam iusticia est, Christus
gratis mortuus est. Iam hic enim erat Lex & non
iustificabat, Iam hic erat Natura & non iustificabat.

Ideoq; Christus non gratis mortuus est, ut & Lex per illum impleretur, qui dixit, non veni soluere Legem sed implere: & Natura per Adam perditam per illum repararetur, qui dixit, venisse se quaerere & saluare quod perierat. Cogitandum igitur erit Pontificijs, quantum impietatis, crimen committatur, dum ut hanc distinctionem obtineant, Christum ^{VOX MODÉ TRIV} habendum, sub Anathematis poena decernunt, in Concilio Tridentino Can. 21. Sess. 6.

LXXVII.

Itaq; verè statuimus de illis, qui Legem & Euangelium confundunt, eos non tantum caelum & terram, sed caelum & infernum miscere. Cum enim Lex hominem condemnet, ad infernum vsq; abijciat, & eius cruciatibus mancipet: Euangelium vero ex inferno reuocet, liberet, & ad caelum extollat, quid aliud Legis & Euangelij confusio: quam caeli & inferni mixtio, vel potius caeli in infernum, & inferni in caelum peruersio?

LXXVIII.

Cum verò Dominus & Saluator noster Christus Iesus qui proprium Euangelij Subiectum, positus sit in signum, cui contradicatur, Luc. 2. dubium non est, ex infinitis disciplinarum doctrinis, non esse aliud doctrinae ge

nae genus vllum, quod tot ac tam innumeris hostium tes-
lis, ac tanta armorum varietate impetatur, impugne-
tur, & iactetur, ac Sacrosanctum illud Euangelium,
quod Theaurum Mundi, in quo omnes thesauri sapien-
tie & scientiae Dei reconditi sunt: quod vitam Mun-
di, sine qua nulli hominum vita, nec datur nec serua-
tur: quod Lucem, in qua omnis Dei cernitur bonitas &
maiestas: quod deniq; Salutem, in qua Deum, omne bo-
num, non tantum videre, sed habere licet, continet. Quic-
quid enim est, non tantum sapientiae & potentiae huma-
nae per se, sed & quicquid valent ac possunt Inferorum
porta, hoc omne, omni contentione & vi conuertitur, in
hoc vnicum doctrinae genus. Hinc non tantum Euan-
gelij praedicatio stulta, 1 Corinth 1. Sed & blasphema
Matth. 9 habetur: non tantum disciplinae & morum pe-
stis, sed & motuum et bellorum fax atq; Tuba in mun-
do audit.

LXXIX.

Quod ergo Augustinus ait de Manichaea haeresi,
quam Meretricem demonijs prostitutam & sacrilegis
vanitatibus impregnatam vocat lib 15 cap. 5. contra
Faustum, eam impias fabulas suas Euangelium nuncu-
pare, verè & statuendū est de reliquis haereticis. Ac do-
lendū, non tantum à Pontificijs tot & tam varijs mo-
dis Euangelij doctrinam ex mera Sophistica corrumpi

Et perueriti: Sed Et à Sacramentarijs sigillum eius, quod inuiolabile est Christi Testamentū, violari. Cum autem ab August: in Psal: 68. non tantum in illos vtrosg; horribiliter dicatur, eos Felin Escam suauem Christi dare, Et peius peccare Iudæis crucifigentibus Christum in terra ambulantem, quod contemnunt in cælo sedentem: Sed etiam in hos, qui malè viuendo scandalum inferunt Ecclesie, vt malè, cum Euangelio audiat nomen Dei, singulis Et vniuersis omni contentione animi enitendum, Et assiduè precandum, vt ab hac atroci noxa immunes haberi possint.

LXXX.

Toto igitur pectore gratias agimus eterno Et misericordi Deo PATRI Domini nostri IESU CHRISTI, quod accensa rursus his extremis temporibus Euangelij luce, qua ex regno tenebrarum Et horribilium errorum nos eripuit, colligit æternam Ecclesiam inter nos, Et Pietate Magistratus nostri Clementissimi cum puritate doctrine, piam Et salutarem animorum coniunctionem Et concordiam tuetur: Eundem Deum misericordiarum Patrem, ardentissimis votis Et gemitibus obsecramus vt veritate cælestis illius sapientie, assidue nos doceat, regat Et ab omnibus errorum Et


COR.


corruptelarum præstigijs tutos præstet, vt in Filio vni-
genito rectè ipsum cognoscamus, inuocemus & celebra-
mus, in indubitata salutis nostræ spe, donec tandem in
conspèctum eius adducti coràm à facie ad faciem illum
intueamur, & omni luce, sapientia, iusticia & leticia
in æternæ vitæ beatitudine impleamur: Intereà autem
repressis Diabolorum & hominum furoribus, protegat
nos sub tegmine alarum suarum, concedat pacem &
tranquillitatem, salua Magistratus nostri Pientissimi,
incolumitate, per Christum Iesum, vnicam nostram Sa-
lutem. Cui cum æterno Patre, in communionem
Spiritus, sit regnum & benedictio
in secula seculorum,
AMEN.



corruptelam presertim entor presert, ut in Filio
 guntio recte ipsum cognoscimus, innocens & celebris
 nos; in indubita salute nosse, donec tandem in
 confitendum eius adhaeret coram & facie ad faciem illum
 intueremur, & omni luce sapientiae iusticia & laetitia
 in eternae vite beatitudinis impleremur: Interdum autem
 repugnat Diabolus & dominum suorum protegat
 nos sed regnum aliam suam, conturbat pacem &
 tranquillitatem suam, ut in ista nosse possit
 inchoat, per Christum suum, unicum nostrum
 latum. Qui cum eterno Patre, in communi

Spiritus in regnum & benedictio
 in secula seculorum,
 Amen.





94 A 7344

ULB Halle 3
000 913 952




Go.

Vb17

Mi. 70





DISPUTATIO.
 DE PRÆCIPVIS
 DVOBVS DOCTRINÆ CHRIS-
 TIANÆ CAPITIBVS: LEGE
 ET EVANGELIO, ET EORVM
 DISCRIMINE IN ACA-
 DEMIA JENENSI.

PRAESIDE
 BALTASARE SARTORIO,
 SACRÆ THEOL. DOCT. ET
 PROFESSORE.

*Ut pro gradu tituloq; Doctorum consequendo
 publicè audiantur.*

Iohannes Gallus Erfordiensis, Senior Reverendi
 Ministerij, & publicus Theologiæ Professor apud
 Erfordienses. &

Henricus Maius Sangerhusanus, pastor, & Su-
 perintendens VVerningerodensis.

Instituta

Ad. 5. dante Deo, Octobris
 Anni 1582.

JENAE

Typis Donati Richtzenhan

13-14-15

